MEDICUS 1898
MICROCOSMUS,

SEU

SPAGYRIA MICROCOSMI

Exhibens

MEDICINAM

Corpore HOMINIS tùm vivente tùm extincto doctè eruendam, scitè præparandam, & dextrè propinandam.

Autore

DANIELE BECHERO, Dantisc.

Medic. Licentiat. Professore publico in Acad. Regiomont. & Physico Reipubl. Cniphov. Regiom. ordinario.

Cum Indice continente medicamenta ad omnes ferè morbos desumpta ex corpore humano tam vivo quam mortuo.

Editio nova triplo auctior & correctior.

LONDINI,

Prostant apud Jo. Martin, Ja. Allestry & Tho. Dicas in Cœmeterio D. Pauli.

MDCLX.



Magnificis, Nobilissimis,
Strenuis atque
Amplissimis Viris,

Dn. BURGGRABIO REGIO
Dn. PRÆCONSULI.
Dnn. PROCONSULIBUS & CONSULIBUS.

Totique adeò florentissimæ
DANTISCANORUM Reip.
Ordini Senatorio.

PATRIBUS PATRIÆ

Dominis meis debitæ observantiæ officio reverenter honorandis, venerandis.

FRugi *Patresfamilias*, Viri Magnifici, Nobiliss. Strenui, Ampliss. patres Patriæ honoratissimi, *plantas, quarum, vel ipsi semina terræ commiserunt, vel quas aliunde in plantaria sua translatas inseruerunt,*

 accre-

accrescentes, & salubri aurâ aspirante, arborescentes, licet vix dum maturum primis annis proferant fructum, tamen propter uberioris proventus expectationem benevolè aspiciunt, excolendoque maturant: Idem à VOBIS *largiter mihi concessum affirmare non dubito: Etenim decennium jam volvitur, & quod excurrit, quando primis studiorum meorum Medicorum annis Hortulum selectissimis ex probato Experientissimorum Spagyrorum viridario surculis insertis virentem quidem, sed imperfectum adornare cœpi, Spagyriam intellige Microcosmi, in qua, quî plurimâ partes Corporis nostri vires & facultates Mineralium & Vegetabilium in Macrocosmo imitentur, paucis proposui, at minus politè, & pingui, quod aiunt, Minervâ administravi: Vestra vero,* VIRI MAGNIFICI, *benevolentiâ & favoris aurâ hactenus aspirante, hortulus hic pinguiter*

planta-

plantatus, non solum vitalis, sed mul-
tis quoque fertilis visus fuit. Hinc
est, quod aliorum Clarissimorum vi-
rorum æstimia, & observanda mihi
autoritas, aliorum vero vicaria li-
teræ me monentes, obtinuerunt, ut in-
choatum hunc laborem majori cura
auctiorem & correctiorem perfice-
rem. Neque enim debui vel Auto-
ritatem eorum, qui mihi quondam
Præceptores extitere, negligere, vel
laborem interfugere, vel etiam culpa
mea committere, ut tam benevoli af-
fectus VESTRI Favonius, tam vi-
taliter hortulum hunc meum interspi-
rans, fine suo & expectatis proven-
tibus frustratus concidat. Inductus
igitur sum animo, ut prædictum hor-
tulum Spagyricum colendum ingre-
derer, curamque adhiberem, ut tum
arborescentes jam maturiori Experi-
entiæ judicio plantæ fomentis adhibi-
tis corroborarentur, & fructus quasi
protruderent, tum novi subinde sur-
culi ex probatissimis Naturæ consul-

torum viridariis insererentur, stolonibus amputatis:

VOBIS autem, Viri Magnifici, patres Patriæ honoratissimi, *laborem hunc, & Tractatum, qui vestro tutelari Patrocinio, primam aspexit lucem, feliciusque sortitus est incrementum, denuò inscribere, ut debui, ita Patronis aliunde quæsitis, eund m destinare nolui. Nefas enim prudentiores duxêre gentiles, id, quod uni sacrum erat aræ, alteri offerre, dicaréve: Et infrunitæ mentis indicinam Hierocles olim putavit, eorum favorem aucupari, quorum amorem nullum naturæ philtrum nobis commendaret, atque interea, in quorum sinum benevola nos conjecit natura, tanquam ultra Herculis columnas sitos, oculis pressis insalutatos præterire. Quemadmodum enim arcem invictam non facilè extruxeris, nisi ubi vivum detur fundamentum; ita non facilè quenquam firmâ quis sibi conjunget copulâ, nisi naturalis quidam*

dam subsit nexus. Talem autem esse Patrii soli *communionem sapientibus persuasum est, quippe, quæ alumnis suis non solum esse, sed & benè esse largiri amat.* *Hac in parte* de Republica Vestra, Patria mea dilectissima *summo jure ego gloriari possum. Nam, ut taceam, quæ tamen minimè taceo, sed tacitus sæpè grata mente mecum revolvo, & plura, quam sum solvendo, fœnora à me exigere agnosco; quod* in Republica Vestra *sum natus, & à teneris unguiculis educatus, quod eadem Infantiam meam foverit, pueritiam aluerit, adolescentiam exercuerit, ad secretiora Musarum adyta me intromiserit, vitam moribus efformaverit, intellectum beatis scientiis expolierit & quod non postremum est, studii quoque Medici* in Illustri Vestro Gymnasio sub Clarissimo Viro Domino D. Joachimo Olhasio, Æsculapio felicissimo, Anatomico experientissimo *b. m. & recordationis fundamenta & Me-*

modum ineundi edocuerit. Ille enim est splendor florentissimi Vestri Palladii, cujus commoda immortali nominis gloria difficillimis etiam temporibus curatis, ut ex eodem ceu Equo Trojano, omnium disciplinarum & facultatum instructi prodeant milites. Sed hæc, inquam, ut taceam, quanti illud æstimandum, quod cùm ante decennium, imperfectiorem hunc ipsum Tractatum Spagyricum, tunc temporis primitias studii mei Medici, inscriberem, Vos non solum usitata VOBIS & erga literatos solita (quæ etiam Vestra, ut hoc seculo rara, ita magna est gloria) sed & planè singularis abundantiorisque benevolentiæ flumine me fuistis prosecuti, ut ejus rivuli in me promanarint? Magnum sanè, & majus, quàm cætera beneficium, quo ita me obstrictum esse autumo, ut si res ita ferat, ipsam hanc Vitam cum Codro & Deciis pro salute Patriæ lubens meritoque devoverem. Quia vero, divina sic volente

& disponente gratia etiam hic locus, quo (donec Deo visum fuerit) vivo, me sibi jam devinctum habeat, ut affectum meum & erga Magnif. Vestras *observantiã aliis nequeam documentis declarare, ideo vel hoc redhostimenti genus absque turpi ingratitudinis nota intermittere non potui: Etsi enim beneficium referre hoc tempore non valui, non agnoscere tamen, nec prædicare non debui.*

Proinde aspicite, Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Patres Patriæ honoratissimi, *aspicite, & sereno vultu perfectiorem hunc, quàm qui ante prodiit, Tractatum MICROCOSMI Spagyricum, intuemini, quemque ceu hortulum vitali Favoris VESTRI & benevolentiæ aura interspirante virescere & parturire fecistis, ad fructus jam maturiores pervenientem Sole perpetuæ VESTRÆ benevolentiæ non destitute, contra omnis generis Blattarum & Sycophantarum morsus defendite,*

 meque

meque VOBIS *commendatiorem fo-vere pergite: Quod restat; DEUM supplex oro, ut florentissimam* VESTRAM *Rempublicam, patriam meam gratissimam ab omni malo sartam tectamque conservare, florentemque & inconcussam diutissimè tueri, Vosque omnes ac singulos sub umbra alarum suarum paternè protegere dignetur. Dabam Regiomonti Borassorum ex Musæo meo: Anno Salvatoris nostri,* 1633.



V.V. M.M. N.N & A.A.

obſervantiſſ. & deditiſſ.

DANIEL BECKHERUS
Medico-Phyſicus & Prof. Publ.

AD LECTOREM
Benevolum & Candidum.

ANnus jam agitur decimus, Amice *Lector*, quo abortum quendam *Microcosmicum*, præparationem & uſum nonnullorum remediorum ex myrothecio Corporis deſumendorum, exhibentem, ad manus tuas pervenire volui: Eum autem haut ingratum tibi fuiſſe, vel ex eo cognovi, quod exemplaria omnia tum promulgata, exiguo temporis ſpatio diſtracta: taceo, quod Viri Clariſſimi in ſcriptis ſuis eundem citare & allegare haut gravati fuerint. Cum igitur Typographus, & cum eo amici quidam alteram urgerent ejuſdem editionem, correctiorem non tantum, ſed & triplo auctiorem & melius diſpoſitum, novumq; quaſi eundem tibi exhibere deſtinavi: ut ſic adverſus ferè omnes, tum Internos, tum Externos corporis tui morbos, ex te ipſo ſtatim Medicinam petere poſſes.

Non

Non possum autem non, amice *Lector*, te paucis hic detinere, & quî duplex mihi dedecoris & inhumanitatis macula ab insulsis hominibus, insubidam sibi omnium censuram arrogantibus, inuri posse videatur, quiq; Tu me ad eadem liberare possis, exponere: Sicut enim, imprimis ii, queis nil, nisi propria duntaxat arrident sputa, qui me compilatorem, aviq; Æsopicæ alienis plumis exornatæ similē dicent: Sunt & alii, qui me à Tigride nutritum, & inter Anthropophagos educatum clamabunt, quod in viscera humana ita sæviā, & ex partibus ferè omnibus Microcosmi medicinam parem: Verùm levia quàm hæc sint, à leviori genio, ingenioque profecta, ex sequentibus collige.

Primùm enim quod spectat, non sanè eo inficias, pleraq; (non tamen omnia) in hoc scripto non esse mea, sed aliunde mutuata, quorum autorū nomina, bonâ quoq; fide à me citata, reperiuntur: Imitatus vero sum hac

in parte diligentiam apum, quæ non de propria substantia omnem illam massam, quæ in alveario earundem conspicitur, conficiunt, sed ex diversis & pluribus floribus, succum hinc inde collectum ulterius perficiunt, & miro artificio, composita quædam humano generi maximè necessaria, pertexunt: Simile quid & à me factitatum: quod enim sparsim apud diversissimos autores legi, collegi; & in unum fasciculum comportare, sicq; distracta contrahendo, distractæ menti consulere volui: Excusabit me, non tantum aureum illud Flavii Albinii dicentis: fructus legendi is est, ut æmuleris, quæ in aliis probas, & quæ maximè in aliorum dictis mireris, in aliquem usum tuum, opportunâ derivatione convertas: ut & responsum illud Aphranii, celeberrimi Poetæ, datum his, qui eum insimulabant, quod plura sumpsisset à Menandro: fateor, inquit, accepi, non modo ab illo, sed ut quisque habuit, quod convenirèt

mihi:

mihi: Verum & exempla clarissimorum: non dicam de Virgilio, quem non puduit millia versuum ex Homero transtulisse; nec de Cicerone, qui infinita ex Platone & Demosthene mutuatus est: Volve quæso & revolve veterum Medicorum libros, Avicennæ scilicet, Aetii, Ægmetæ & aliorum ex Galeno volumina sua ita exornantium, ut vix quidquã in iisdem reperias, quod non verbotenus ex Galeno, aliisve exscriptum sit: interim tamen omnium teruntur manibus, nihilque gloriæ & authoritati illorum decedit: Et quid apud Neotericos dicitur, quod non dictum sit prius? Cum itaque his locus concedatur, nec ex Theatro scriptorum explodantur, me quoque simili affectu & benevolentia beare, & huic tractatulo aliquem in Bibliotheca tua locum concedere poteris.

Alterum quod attinet, nec illud tanti apud me æstimatum fuit, ut à cœpto cessarem opere, aut etiam

perfe-

perfectum supprimerem, cùm ad benè sentientium tribunal provocare, & ejusmodi συκοφαντήματα invicto perferre animo valeam: talia autem quis in me effutire posset: Christianæ is infert vim charitati, qui ex corpore humano petit medicamentum: nam & tangere cadavera humana à Deo *Num.* 19. fuit prohibitum! Et Indos Anthropophagos execramur, quod in hominum sæviant carnes: Quinimò ipsi Ethnici ab ejusmodi remediis abstinuerunt, *ut ex Plin. cap*, 1. *lib.* 28. *patet*. An non Cadavera terræ demandanda sunt, quò in Cineres abeant; non vero præparanda, ut in Essentias, Olea, Extracta, aut simile quid mutentur? Inprimis cùm selectissima alia Dives Natura nobis suggerat medicamenta: Denique & usus sanguinis cujuscunq; animalis (quidni hominis?) in V. Testamento fuerit prohibitus.

Speciosa sanè hæc sunt, & quæ delicatulos à lectione hujus Tractatus

facilè

facile avocare possent: at si ad Lydium veritatis lapidem ea quis affricaverit, nil genuinæ veritatis, sed fucatæ pietatis, fictæque honestatis plurimum animadvertet: Tantum enim abest, ut hac ratione charitati Christianæ vis à nobis inferatur, ut etiam eandem potius promoveamus: Proximo enim idoneis succurrere medicamentis, dolores acutissimos profligare, sanitatem restituere, & ex Orci quasi faucibus eundem eripere, an non maximum Christianæ charitatis indicium? id autem partes Corporis humani ritè rectéque dispositæ effectum dant: at consentire te puto, si ex corpore vivo partes nonnullæ assumantur; vim vero inferri, inquis, corpori mortuo. At, quæso, quæ vis? quæ injuriæ? non enim quodvis corpus petimus, sed idipsum, quod ultimo supplicio affectum, & vel patibulo, vel rotæ adfixum fuit: hic sane Christianus efflagitat amor, ignominiam propter

scelera

scelera cum morte potius honestè supprimere, quàm corpus perpetuæ ignominiæ exemplum cum manente turpi memoria relinquere: Quot capita, vel palo infixa, vel rotæ scelerum ultrici injecta, vel ferali catenæ involuta, patibuloque suspensa, cum opprobrio suo, & suorum delictorum testimonio extant. In manes inhonestè sævire, quis in eo non damnaret amorem? Sæviunt ii, relinquentes in dedecus ac turpitudinem post mortem jam solventia suam pœnam corpora: relinquuntur ita ut præterea Corvis gratum fiant pabulum: at vero annon is, se quàm turpiter proderet, qui ingratis furibus largâ manu abundantem suppeditaret victum; contrà domesticis, dura manus reluctante amore, nec tenuem concederet? Non certè ab iis hi multum degenerant, qui pretiosiora corpora humana dant in nutrimentum voracibus Corvis, contrà quos juvare debebant, cum odio relin-

relinquunt abſque auxilio: atq; neminem turpiter in talia medicamenta invectum certe ſcio, niſi, qui ſumme ingratus, majora nobis ab ipſo Deo concesſa beneficia imprudenter reſpuere anniteretur; nec enim fruſtra Deus hanc admirandam partibus humanis indidit virtutem, ſed ut periclitantibus in certum venirent auxilium. Et quid prodeſſet illa vis in corpore, niſi adjuturum aliquando accederet exercitium? Quinimò ex his appropriatis remediis majus divina gloria ſumit incrementum, cujus fortasſis intermisſio in turpius divinæ laudis abiiſſet cum impietate decrementum: fieret autem hoc, ſi vel talia cadavera triſtiora fierent exempla, vel furacibus Corvis feralia relinquerentur fercula: nam quò acta majora, ita magis in laude creſcunt: omninò magnum quid per hæcce medicamenta voluiſſe Deum, immò jam feciſſe nemo abnegabit, niſi qui divinæ gloriæ pigrã ſuâ ignorantiâ

rantiâ viam turpiter intercludere satageret. Christianum itaquè amorem eo nomine, magis magisque exerceri, quàm vim aliquam pati dixerim: nec enim hic animus iratur, sed potius animus in quo Christianæ charitatis splendescentes elucent flammulæ, dum Cadaver, quod prostabat in non moriturum opprobrium, jam cum honestate abit in diu expectatum proximi periclitantis auxilium: at quis ita absurdus, qui honestum proximi auxilium violentam diceret læsionem? quî enim læsio esse potest, à qua omnis exulat animus iratus? quî læsio, ubi nostri proximi certa adsunt subsidia?

Deinde, nec te moveat, Amice LECTOR, quod, quos labis expertes Iudæos mandatum divinum serio voluit, cadavera tangere Deus noluerit. Hæc enim Lex non ita arctis inclusa erat terminis, quasi omnem, vel minimum hominis piè defuncti contactum inhiberet: quid enim

enim sibi vellet illud, quod Deus Jacobo Patriarchæ promisit, quod Joseph manum suam super oculis ejus scilicet demortui jam, sit impositurus? Quid? quod ipse Salvator, summus legis observator, loculum, in quo filius Viduæ Naimiticæ recondebatur, manu suâ contrectârit, nec tamen secundum mandatum *Num.* 19. eundem immundum propterea extitisse legimus: Et quis ita hospes in Theologia est, ut ignoret, Legem hanc Ceremonialem, & sic Temporariam, ad Tempus tantum Judæos obstringentem, nilque nisi umbram futuri Corporis designantem? Christo verò adventante, illam evanuisse legimus, credimus: non est itaque ut legi isti Ceremoniali collum subjiciamus, cum nos eadem non obliget; ubi vero nulla legis observatio, ibi nec aliqua ejusdem prævaricatio.

Tertiò, Indos Anthropophagos in scenam producunt: quod omni

huma-

humanitate exuti, amoreque proximi spoliati, ferociâ quâdam beluinâ in viscera sæviant humana, quo gulam suam carne humanâ exsatiare possint: à nobis vero non cujusvis hominis, sed ultimo supplicio affecti corpus tantum expetitur, & non ut inde victum ex crudis, sed ex præparatis medicinam apprimè necessariam desumamus partibus.

Sed quid de Ethnicis dicendum, quos adeo religiosos cum Plinio dicunt, ut usum ejusmodi medicamentorum ex C.H. desumendorum reformident? Utroq; hic caput illud Plinii intueamur oculo, non enim de partibus in genere omnibus, sed de visceribus internis ibidem agit, à quibus & nos merito abstinendum censemus: Is ipse autem multarum aliarum partium in sequentibus facit mentionem, ex quibus medicamina parari possint: Quin potius piaculum dixeris, proprios filios Igni, immò Dæmoni vivos devorandos tradere,

dere, quod tamen gentilibus quibusdam non fuit religio: Quid? quod illos prorsus latuerit, quoúsque se proximi extenderet dilectio.

Quod si, quintò, Cadavera dixeris terræ demandanda esse, ut in Cineres abeant: cur ea patibulo rotæque affixa, bestiisque devoranda & dilanianda relinquis? An non, si in medicum partes humanæ veniunt usum, terræ consecrantur? Sic sanè: Homini enim, qui Terra est, medicamenta propinantur; quo resoluto, omnia simul assumpta resolvuntur: Et quot post mortem non immediatè in cineres, sed à bestiis devoratos Martyrologia testatur: quos tamen in Cineres tandem abiisse, nemo facilè negabit? Eosdem autem Omnipotens Jehovæ dextera, non tantum scite discernere; sed ex pulveribus illis per lætissimam resurrectionem extinctum producet hominem: Moriatur itaque, corrumpatur, devoretur, destruatur quo-

jusmodo,, nunquam tamen ultimam sui effugiet resolutionem: Omnes enim inevitabili (Deo sic jubente) destinabimur cineri.

Urges sextò selectissima alia à Natura nobis concessa media & remedia, & quidem in tanta εὐπορίᾳ, ut ex homine petitis non indigeamus. Sanè negare haut possum largam paternamque summi Creatoris manum tot nobis adversus sanitatis nostræ hostes suppeditasse pharmaca, ut vix minima etiam plantula detur, quæ non insigni vi polleat medendi: Verum & in Microcosmo Deus voluit esse Myropolium, unde probatissima remedia, multis parasangis reliqua superantia, depromere posses: Et in Homine, qui teste Democrito in Epist. ad Hippocr. ab ipso ortu morbidus est, medicinam extare voluit, quâ sibiipsi suppetias ferre valeret: Miraris in aliis etiam Venenatis animalibus antidotum adversus venena reperiri: & Balsamum linguæ Cani-

næ

næ inesse, quo inflicta sibi sanet vulnera: mirari potius & rimari divinam debes in homine Sapientiam, bonitatem, in quo tanquam in centro totius Universitatis omnium sublunarium rerum Virtutes collocavit, ut exinde arma adversus morborum insultus depromere possis: inprimis necessitate urgente, & cæteris idoneis deficientibus: Præstat enim, sic jubente amore, proximum laborantem honestè juvare, quàm turpiter eundem relinquere.

Ultimò, præceptum de non usurpando sanguine urges: Ast idipsum nos non ferire, vel Cæcus videt: Sanguinis enim crudi usum, esumque & nos ipsi reformidamus, ut ex Capite de sanguine patet: præparationem duntaxat ex eodem petimus, & divina exinde investigamus conficienda remedia: nec alimentarem, sed medicinalem ejus præscribimus usurpationem: Quinimò hæc ipsa de sanguinis interdicto Lex sub certo

respectu & ratione erat data, quâ cessante, procul dubio cessabit etiam ipsa: Erat enim, annotante Theodoreto ratio legis hæc, quia sanguine victimarum fiebat expiatio, adeoque Deo in V.T. sacer erat sanguis: Hac etiam de causa vetuit Deus Judæis esum morticinorum, eò quod sanguis ab eis non rectè fuerit separatus: Sed hæc Theologi fusius prosequantur. Mundis interim N. T. omnia sunt munda non solum quoad esum, sed & quoad contactum, contestante ipsa scriptura.

Vides itaque ex dictis, crassiori Minervâ tibi propositis, Amice LECTOR, arietes illos ad debellandum meum propositum haut sufficere, meque illæsâ conscientiâ, salvâ proximi charitate, salvis legibus, Medicinâ ex corpore humano depromptâ, uti posse. Docet & suadet idipsum inprimis divina illa partium Harmonia, quâ pars parti laboranti, membrum membro affecto succurrere

 satagit:

ſatagit: Similia enim ſimilibus congaudent & conſervantur: Sic partes ex animalibus brutis petitæ, ſimilibus noſtri corporis partibus ſubvenire, & Medicam porrigere manum videmus, Cerebrum leporis præparatum Cerebro noſtro affecto & malè diſpoſito opem ferre docet cum aliis Cl. Sennert. l. 1. Prax. Pulmones vulpis & vituli Phthiſicis & aliis Pulmonum affectibus prodeſſe vel mulierculæ nôrunt: Cor Cervi inter Cordialia numerari, & inde aquas Cordiales præparari, teſtantur Diſpenſatoria: Ventriculum gallinarum præparatum ſpecificum eſſe in profliganda Ventriculi imbecillitate, vel pulvis ille ſtomachalis Birckmanni à Quercetano in Pharmacop. Dogm. deſcriptus, fidem facit. Hepar Lupi, hepaticos ſanare, tradunt Practici, Priapum Cervi, Naturam in generatione deficientem juvare, notum eſt. Feliciorem vero ex uſu medicamentorum ex partibus humanis deſumptorum,

rum, curationis ſucceſſum expectabis, cum nil humanis, laborantibuſq; partibus ſimilius, & convenientius eſſe poſſit: Olfecerunt id clariſſima Medicinæ Lumina, excellentiſſimi Naturæ-conſulti, penes quos religioſa quoque fuit pietas, qui ejuſmodi remedia præparare, & ægrotis adminiſtrare haut erubuerunt: Hos tanquam duces, ſecutus, MICROCOSMUM tibi exhibeo MEDICUM; cum ex proprio corpore medelam adverſus diverſiſſimos affectus depromere poſſis: Partes autem unde præparantur, non ſunt quævis, ſed minus abominandæ: Eæque *vel ex Corpore vivente*, vel *ex Demortuo* deſumuntur: *Illæ* ſunt, vel, quæ à Natura ad reſecandum deſtinatæ, utpote, *Capilli*, *Barba*, *Ungues*: vel, quæ ſponte ſuâ, tanquam excrementa emanant, aut tanquam ſuperflua à Natura expelluntur, ut *Saliva*, *Aurium ſordes*, *Sudor*, *Lac*, *Menſes*, *Secundinæ*, *Vaſa umbilicalia*, *Galea*, *Uri-*

na, *Stercus*, quò & *Pediculi* & *Lumbrici* referuntur; vel, quæ ſine noxio aliquo incommodo deſumuntur; ut, Semen, Sanguis, Calculi:

Hæ ſunt, CRANIUM, USNEA ſeu Muſcus CRANII, ubi ſimul nonnulla de Unguento Hopliatrico inſeruntur, Cutis, Pinguedo, Oſſa, Caro, de quibus omnibus libri duo propoſiti, agent: Tu vero Amice LECTOR, huncce laborem meum æqui bonique conſule, adverſus invidorum maledicta me protege, & his, quæ utilitati tuæ conſecravi, benignè fruere, mihique fave. VALE.



IN MICROCOSMUM
Clarissimi Autoris, collegæ & compatris honorandi.

Orbem dum parvo magnum deducis in orbe,
In parvo magnus, Tu simul Autor, eris,

Georgius Lothus D. Medic. primarius Professor, & Medicus Electoral. Regiom. Boruss.

ALIUD.

Qui reparare cupis vegetæ primordia vitæ,
Sedulo & inquiris, quid breve corpus habet;
Ac monstare studes, quàm portio quælibet in se
Vim teneat Medicam, qualiaque arma ferat;
Ne variæ, quæ hominum defœdant undique labes
Corpora nostra minus tela ferire queant;
Munera multa tibi debet studiosa juventus,
BECCERE, & te artis gloria digna manet.

Joannes Bacmeisterus, Phil. & Med. D. Profes. & Facult. Med. Senior in Acad. Rostoch. An. 1622.

AD AUTOREM.

Humanum exercent morbi denso agmine corpus,
Pars nulla est mortis libera ab insidiis,
Contra quos hostes rectissima tela ministrat
Passim Hippocratici turba sodalitii:
Mirum autem in multis reperiri partibus illa,
Quæ citius reliquis visa levasse malum;

Qualia

Qualia perpaucis medicamina nota fuerunt,
Chemiæ tantum sota calente sinu.
Quæ dum publicitus Medicis BECCERE revelas,
Atque aperis clausum quod stetis ante diu:
Laudibus & meritis te gens studiosa coronat,
Nec cœlos feries nobiliore viâ.

Benevolentiæ causa scribebam
Jacobus Fabritius, Phil. & Med. D. Princ.
Mepapol. Archiat. & Professor. Rostoch.
p. t. Decanus. Ann. 1622.

AD EUNDEM.

Quæ multi sparsim, parcè, Tu largiter uno
Das cumulo, propriique addis secreta laboris,
Quæ ceu thesaurum ditem tua scrinia servant;
Ergo, quas multi sparsim, parcéque tulerunt,
Fers uno cumulo, laudes, propriamque mereris:
A Capite ad calcem, nostri tu corporis artus,
A Capite ad calcem, nos Te laudamus, & ultra.
Sint utinam, qui rectè tui vestigia cursus
Æquent, & simili nisu mysteria prodant.
Quæ Natura imo, benè supprimit abdita abysso,
Nec nisi subjectâ patitur se ostendere flammâ.
O quanto hæc fierent artis medicæ instrumento!

Benevolæ amicitiæ ergò scripsi
Joachimus Stocman, Phil. & Med. D. Profess.
in Acad. Rostoch. Ann. 1622.

IN MICROCOSMUM MEDICUM

Viri Clarissimi & Excellentissimi
Dn. DANIELIS BECCHERI
Medic. Licent. & P. P. Physicique Cniphov. Ordinarii,
Collegæ & Compatris honorandi.

ΜΗΔΕ ΜΙ'Η πέλοι ἠλιτρὶν βίου ἀνδρομέοιο
Εἴη κἂν μὴ μάρτυ πολυαλγέα πήματα νούσων·

Μηδ'ἐν

Μηδὲν τῆς χροιᾶς βελτίονος μέλος, ὅ, τι νόσοισι
Γυιοβόροισιν ἔνοχον μὴ ἔφυ· κατὰ τῶν δὲ ἁπασῶν,
Εἰν αὐτῷ σμικροῦ σωτήρια σώματι κόσμου
Φάρμακα τοῦ Κτιστάο σοφὴ προσέταξε πρόνοια.
Ὧν τινα οἱ ἔνιοι κλυτοὶ ὁ Μαχάονος υἷες
Εὗρον, καὶ ἔργοισι σπειράδην ἐνέπασσον ἰοῦσιν.
Ἀλλ' ἐνδοξοτάτου μέρμηρα θεήλατος ἀνδρὸς,
ΒΕΚΚΗΡΟΥ, τὰ δὲ πάντα ὁμοῦ συνελέξατο· πολλὰ
Διζομένη δὲ καὶ αὐτὴ, ἄνευ Θησῆος, ἀόκνως,
Ἀγχινόως τέτμηκε, σοφῶς τε διασάφησ' ἕκαστα
Καὶ θνητοῦ χρωτὸς μορίων ζῶντος νέκυός τε,
Τῶν γε πετεινῶν καὶ ἄλλων, ὠμῶν τε, μένους τε
Τοῦ διὰ Ἡφαίστου σκευαζομένων, καθ' ἕκαστον
Τὴν γένεσιν, χρῆσιν φυσικὴν, παιώνιον ἠδὲ
Τῶνδ' ἐνὶ βιβλιδίῳ συλλήβδην, καὶ κατὰ τέχνην,
Πιστοτάτως τε καὶ εὐδήλως παραδοῦσα δίδαξε.
Τουτὶ φέρ' ὦνερ καὶ ἀνάγνωθι νέος τε γέροντε,
Ὃς μὲν Ἀπόλλωνος θεράπων, ἰδίης θ' ὑγιείας
Ἐσσὶ φίλος· τῆς τ' ἐργασίης γεννήτορα ταύτης,
Ἀθανάτου τε πόνου, μεγάλην χάριν ἴσθι περιύμνους·
Κύκλον εὐσεβέως τε μόρου λιπαίνευε βίου τε
Ὡς μακροχρόνιον μέν γ' ὄλβιον ἠδὲ σαώσῃ,
Κεῖνον ὄφρα πλεῖα παρομοίϊα βιβλία δοίη.

Φιλοφροσύνης χάριν ἔγραψε.
M. Matthæus Reimerus, Lit. Græc. P. P. &
Facult. Philosoph. p. t. Decanus.

DANIEL BECCHERUS
ἀναγραμματιζόμενος ad B. Lectorem,
ECCE LIBER! SUDAN'
SUDA? HINC CELEBER.
Ἐξήγησις.

NOndum Calcographi fuerant exscripta labore
Scripta, quibus parvo nomen ab orbe datur?
Obstupuit gaudens summo Jove natus Apollo,
Quem Medicina suum credidit esse Patrem:

Non

Nun, ait, infirmos posthac tot Magnus habebit
Mundus, si Parvum tàm proba cura tenet.
Ante tulit Magno Parvus mala plurima Mundus;
Jam, Duce Becchero, commoda plura dabit.
Tu Becchere, DEO sate, Divis proxime, salve,
Dividua, O frater, sceptra resigno tibi.
Tu Studiosa cohors SUDAN' multoque labore
Quem cernis librum nocte dieque legin'
Aureus ECCE LIBER! SUDA. sudore parabis
Artes, HINC CELEBER nomine honore clues.
Dixerat. Applaudit mox turba novena Sororum;
Beccherus punctum sedulus omne tulit.

D. Hospiti & Euergetæ suo meritò F.
M. Georgius Segebadius.

ALIUD.

NOn contemne tuo Naturæ ex corpore curam,
Lapsuræ medicam quam sibi sevit inops.
Corporis explora nexas indagine partes,
Quæ variis morbis, pharmaca sparsa ferunt.
Corporis haut pars, quæ non sit medicina parata.
Corpore tam vivo pharmaca magna pete:
Corpora præsidium morbis quam mortua portant:
Auxilium præsens, corpus utrumque venit.
Invida quæ nobis negat intellectio rerum,
BECKERI hæc docti libera scripta dabunt.
Hinc tibi, si mens est, vegetam servare salutem,
Egregium hunc constans, volve revolve librum.



M. Christophorus Tinctorius.

MICRO-

MICROCOSMI MEDICI

LIBER PRIMUS.

De Medicina è viventis hominis corpore desumenda & præparanda.

CAPUT I.

DE CAPILLIS ET BARBA.



APILLI, quos hactenus inter Excrementa collocatos, & ab excremento nutritos legimus, non sine causa ad partium licet ignobiliorum classem referuntur: ut idipsum pluribus *in parte prima Microcos. logias nostræ disputat. quarta* probatum est: Ad horum vero ut & aliorum pilorum formationem & productionem sunt quatuor necessaria: 1. NATURA, quæ Deo sic disponente, eosdem efformat, formalisque certas præfigit cancellos, quos prolixitate sua excedere nequeunt. 2. CALOR, quo natura pro instrumento utitur; inde & calidiores, pilosiores. 3. CUTIS APTA & disposita, quæ nec in raritate vel densitate excedit, vel deficit, nec sicca nimis sit, nec humida: Utenim Plantæ, neque in udoso, neque in arenoso solo proveniunt: ita Pili, neque in siccissima, neque in humidissima cute generantur. 4. MATERIA pro capillis generandis & nutriendis conveniens:

Ut vero nil in toto universo frustra à Natura conditum est, ita nec pilos aut Capillos sine omni in Natura usu facile quis dixerit: In corpore dum sunt, variis inserviunt usibus.

1. Defendunt caput ab externis injuriis, ne Cerebrum, alias à caloris fonte longe dissitum, ossibus finitimum, omni pinguedine destitutum, vel nimio frigore læderetur, vel caloris impetu afficeretur: Ex Busbequii itinerario Constantinop. narrat. *Riolan. l. 6. anthropolog. c. 52.* Janissatium quendam Constantinopoli fuisse, cui caput tanta pilorum congerie circumseptum erat, ut sclopetorum etiam ictus illæsum & intactum eluderet.

2. Apertos servant cutis poros, sicque occultæ transpirationi facilior conceditur exitus quorum tamen largior proventus contrarium præstat: Hoc fine *Rhases* & *Avicenna* experientia edocti, testantur, frequentem capitis tonsuram acuendo visui maxime conferre, quod sic fuliginibus exitus & egressus pateat. Tonderi ad cutim in diuturno pituitæ cursu consulit *Celsus lib. 2.* Nec caret mysterio, quod Hygiæ Æsculapii filiæ, hoc est, sanitati, Sicyoniæ mulieres valetudinis curam habentes, comas suas detonsas consecrabant, ut aqud Pausaniam legitur: Haut alia de causa Aristotelem attonso vertice usum fuisse narrat Laertius, quam ut valetudini suæ consuleret, quod à Medicis tempore Galeni factitatum est, qui ad cutem usque detonsi erant, ut ipse narrat. *l. 6. Epidem.*

Contrariam hic fovere sententiam videtur *Lemnius, qui lib. 4. de occult. Nat. mirac. c. 8.* sanis suadet, ne barbam ac capillos ad vivam cutim deradi sibi patiantur, quod nimius ejus rei usus vires depopuletur, atque homines effæminatos, mollesque præstet: quin & spiritus & calorem resolvat atque extenuet, maximamque audaciæ ac confidentiæ partem in adeundis periculis cordi detrahat: Verum, ut in certis dispositionibus id aliqua ratione concedi posset: Ita universa Polonorum gens, quæ ad cutim usque sæpius in anno capillos sibi abradi curat,

rat, plus commodi, quam detrimenti inde se persentiscere affirmat; Exemplum Samsonis, qui divinum illud robur, quo pollebat, abrasis capillis amisit, crescente capillitio id ipsum recuperavit, plane extraordinarium est: sic Nisus capillo suo purpureo ab ejus filia Scylla spoliatus, vita quoque privatus fuit, quum pilo incolumi mori non posset.

3. Quantum Calvities deformitatis, tantum & capilli ornamenti nobis conciliant, nam

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine Crine caput.

Et vere dicitur: Comam esse reverendam in senibus, venerandam in sacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adolescentibus, comptam in mulieribus, dulcem in pueris, utque arbor ingrata est, si ejus coma tollatur: ita &, Si humani corporis capilli demantur, tota pulchritudo flaccescit.

Quum enim ut habet *Tardin. c.* 2. Homo sit animal veneratione dignum, ac majestate plenum, ita tamen ut civilis sit & mansuetus, decuit in ejus vultu, qui animæ quædam imago est, majestatem quandam humanitate plenam, atque humanitatem veneranda majestate stipatam elucere: Itaque neque pilis fuit undique obsitus, sic enim agrestem atque ferocem vultum, brutorum instar exhibuisset: neque fuit undique glabrus & depilis, sic enim mollem & effæminatam faciem, puerilemque mollitiem præ se tulisset, cum igitur brutis sit mansuetior, & fœmina augustior, medium inter utrumque vultum obtinuit.

Inprimis vero de BARBA constat, quantum viro majestatis conciliet, quum & in ea index facultatis divinæ, nempe procreatricis; testisque sexus & temperamenti, virtutisque partium genitalium robur efflorescat: scite itaque Diogenes Barbæ abrasionem cuidam sic exprobravit: An putas, inquit, naturam aberrasse, quod potius virum te, quam mulierem effinxerit: Et apud quasdam gentes in more fuisse positum legimus ut siquid luctuosum viro contigisset

tigisset, is non prius lamentaretur, quam barbam deposuisset, quasi indecorum ratus, virum cum virili ornamento, lamentis gemituque & fœmineo ululatu muliebres mores imitari; quem morē apud Ebræos invaluisse ex eo colligunt, quod Esaias inter cæteras clades, barbæ abrasionem Moabitico populo interminetur; sic & apud eosdem ignominiosam fuisse barbæ abrasionem patet ex *lib. 1. Paral. c. 19.* Cum enim David nuncios ad regem Hamon misisset, ut eum de patris obitu consolaretur, cum hos conjurationis suspectos Rex barbarus haberet, ex altera maxilla barbam unicuiq; abradi jussit; quod, cum Davidi renunciatum esset, mandavit, ut privatim delitescerent, quousque barba erupisset, ne tam fœdum & ignominiosum spectaculum populo exhiberent.

Romanis quoque augustæ nobilitatis signum, symbolumque fuit Barba. Cum enim Veteres falso deorum cultui addicti, simulacra sua efformarent, cum iis insignibus, quibus magnum aliquid significari existimabant: Phœnisses, qui mercaturæ erant dediti, deos suos cum loculis effingebant: Lacedæmonii, ut erant armis belloque potentes nihil armis divinius & sublimius æstimantes, Deos armatos, imo & Deas armatas exhibebant: Romani enim suos Deos Barbatos depingebant, quod barbam eximiæ nobilitatis symbolum haberent. Quin etiam capta à Gallis Roma, senatores purpura induti, & barba prolixa venerabiles considentes, imprimis pro Numinibus habiti sunt, donec eorum aliquis, cujus barbam Gallus audacius attrectaret, injuriam baculo ultus hominem se prodidit. Et veteres Philosophos prolixam gestasse barbam vel ex trito illo patet: Barbam & pallium video, Philosophum non video.

Utut vero solis viris tantum Barba competat, quasdam tamen mulieres Barbatas, sed præter Naturæ seriem, fuisse, legimus. Testantur id binæ historiæ Phaetusæ uxoris Pytheæ, & Namysiæ, uxoris Gorgippi apud Hippocrat. Idem affirmat Aristo-

teles

teles de mulieribus ſacerdotibus in terra Caria; ſed barba illis jam adultis contigit ex ſuppreſſione menſium. Refert *Riolan, l. antropolog. p. 678.* ſe vidiſſe in Gynæceio Archiduciſſæ Auſtriæ Græcii juvenculam, quæ à teneris annis poſt menſium eruptionem Barbam, inſtar viri, promiſſam cum myſtacibus geſtabat.

Monſtrum ejuſmodi vidit Wolfius aliquando Lutetiæ myſtace nigro, & incano juſtæ magnitudinis, mento etiam piloſo mediocriter; ſic in Gynæconitide Alberti Bavariæ ducis mulier promiſſa barba nigra fuit.

Galla Symmachi conſ. & Patritii Rom. conjux, imperatoris Juſtin. filia barbam enatam ſibi ob conſperſionem corporis igneam, Medicorum conſilio atque arte evellere noluit; maluit enim ita Deo placere, quam barba vacua ad ſecundas nuptias tranſire, ut habet *Aventinus. lib. 3. Boxur. Annal.* vide *Schen. in obſerrat, l. 4. obſ. 6.*

4 Signum aliquod interni temperamenti hominis ſuppeditare poſſunt. Conſideratio vero illa deſumitur, vel ex ſubſtantia eorundem, vel ex Accidentibus. Secundum ſubſtantiam capilli dicuntur, vel denſi vel erecti, vel criſpi, vel hirſuti & duri, vel molles, aridi & ſicci.

Hinc. 1. Capilli denſi materiæ capillaris copiam & compactionem, ut & caloris nativi robur & felicitatem, arguunt. Taleſque dicuntur audaces, animo fortes, corpore robuſti, brachiis nervoſis, ſtatura plerumque compreſſiori.

2. Erecti timidum ſignificant, hinc & timentibus eriguntur capilli. Germani, **es ſtehen mir die haar zu berge.**

3. Criſpi timidum ſimiliter notant, & referuntur ad Æthiopes; qui vero in extremitate criſpi ſunt, bonum denotant animum, & pertinent ad Leones.

4. Hirſuti & duri hominem audacem, & tumultuoſum notant, qui facile excandeſcens, inultus difficile placatur,

5. Quod si contingat, ut hirsutis capillis temporum Cæsaries addatur, qua capilli in temporum angulis, quasi cornuti, cristati, aut galeati efferuntur, notatur homo gravi alicui vitio deditus, adeoque in conversatione fugiendus, seu, qui sit luxuriosus, vanus & arrogans.

6. Capilli molles & plani, hominem sedati ingenii, placabilem, mitem, humanum, tractabilem, ex parte timidum, Venereum & pacificum indicant.

7. Capilli aridi & sicci propter defectum humidi radicalis imminens aliquod morbi periculum arguunt.

Accidentia Capillorum in colore & pinguedine consistunt, unde quoque varia depromi possunt signa.

1. Quoad colorem: hic varius est, & multiplex:

Rufi, hominem infidelem, clandestinum & insidiatorem arguunt, cholerico siquidem & sanguineo familiares. G. **Roth bardt selten guter art.**

Nigri ingenii bonitatem designant; at plerumque mendacii vitium aut occultæ arrogantiæ notam suppeditant.

Optimus capillorum color est is, qui tangente quodam nigrore verticem tingit: Hi enim censentur prudentes, cogitabundi, fideles, probi: Hisque annumerandi sunt, qui albam, vel flavam habent Cæsariem: nam & iis ingenii bonitas indeelucescit. Observatumque est, quod, quibus in juventute, vel cruda virili ætate Canities oboritur, nisi hæc habeat causas altiores, illi maxima ex parte sint instabiles, impudici, & incontinentes, præsertim si ad ebrietatem deveniant: tunc siquidem Venus in vinis, ignis in igne furit. Vide *Moldenar. exercit. Physiogn.* p. 42. *Guilbelmi Gratarol.* c. 4. & 5. *Joannem ab indag. introductione in Physiogn.* p. 86. *Joan Baptist. Port.* & alios.

Historica cui placent, notet aliquando ex mulierum

erum capillis funes fuisse confectos: sic refert Lactantius, capta à Gallis Roma, cum Capitolium obsidione arctius premeretur, jamque pene ad extrema ventum esset: ex mulierum capillis confectos fuisse funes, quibus tormenta bellica alligarentur, in cujus rei memoriam Veneris calvæ simulacrum excitarunt: simile narrat Plutarchus de mulieribus Carthaginensium, qui multo consultius, quam Romani, ut hujusce rei memoriam in posteros transmitterent, armatam venerem effinxerunt, similiter Julius Capitolinus scribit Aquileienses, nervorum inopia, funes ex mulierum capillis, vibrandis sagittis confecisse: quin & trahendis navibus factos ex pilis funes, commemorat Pausanias.

Utuntur insuper & capillis Naturæ consulti adversus varios humani corporis affectus; & vel crudis vel præparatis.

CRUDI.

1. Capillos pulverisatos, inque Vino albo maceratos ictericis prodesse scribunt.

2. Massa facta è cineribus capillorum muliebrium & adipe ovina utuntur nonnulli ad membra luxata.

3. Notat *Bayrus*. p. 526. quod capilli in aceto forti macerati, imponantur vulneribus à cane rabido inflictis.

4. Idem ad excitandum Lethargicum tale quid componit: Hominis capilli comburantur, & cum aceto in unguenti formam redigantur, naribusque massa imponatur: In eodem affectu *Senn. l.* 1. *pract. p.* 426. seq. commendat.

℞. Castor. ℥. ß.
Capillo human. ℥. i.
Aceti
succi rut. aa q. s. Misce, quo caput irroretur & fricetur.

Hollerius l. 1. *de morb. intern. p.* 51. aliud habet.

℞. Castor. lap. gagat.

C. C. abrotan.

Capillorum hominis an, ℈. i. Excipiantur pice humida; fiat Fumus, qui adhibeatur naribus; quod tamen suffumigium iis minus convenire scribit, qui Epilepsia corripi solent.

Alii tamen Practici, quos & mulierculæ imitantur, simplici tantum suffumigio capillorum adversus hunc affectum utuntur. *Rondelet.* capiti raso applicat.

℞. castor. rec. ʒ. ii.
Ciner. capil. prop. ʒ. i. ß.

Dissolve cum oxyrrhod. redige ad formam unguenti.

5. In suffocatione uteri similiter eos præscribit *Weickard. in Thesau. Pharmaceut. p.* 340.

6. Adversus Apoplexiam *Holler. p.* 45. sequens componit.

℞. Capillorum hominis minutim concisorum ʒ. ß.
Castorei. scr. ii ß.
Hellebor. scr. i. Incorporentur in Opopanace.

Fiat Unguentum.

7. In hæmorrhagia vulnerum capilli cremati à Chirurgis interdum adhibentur propter vim adstrictoriam, quam obtinent.

8. Quidam, non sine superstitione in capillis contra Quartanam medelam quærunt, si sc. capilli patientis abrasi, aliisque in corpore dispersis & collectis pilis permixti, Ovo imponantur, hocque duriter coctum, avibus ad degluticndum objiciatur: *Camerarius Centur.* 7. *arcan.* 6. ex Scheunemann. de morb. sulphur. notat, quendam Quartanarium amuleto ex Barbæ pilis parato, sanitati restitutum esse, sequenti modo.

Princeps quidam civitatis Fontani in Pictavia amantissimus defensor, ab obsidione hostis liberaturus eandem, & commeatu necessariisque rebus adjuturus, cum appropinquaret dux alter, subitaneo Principis adventu perterritus, quod incoluerat

erat Domicilium, derasa sibi jam media barba fugitivus dereliquit, & alio se propere contulit. Princeps hospitium idem fortuito ingressus capillosque humi dissitos conspiciens, cujusnam essent à Nobili quodam Gallo, milite strenuo, ibidem propter febrim relicto, quæsivit, certiorque ea de re factus, clam colligi, noduloque byssino insutos, de febricitantis collo, amuleti loco, suspendi, atque sequens tetrastichon adjungi præcepit.

Juro febrim quatriduanam
Te, per barbam Cyllenianam:
Ut ab hoc corpore repedes
Ceu, me bellante, Dux de Loges..

Convalescens itaque, qua laborabat, febre, Nobilis ducem suum secutus, eum una cum Gynæceo cœnantem reperit, inexpectatus sanitatem recuperatam duci commemorat, Condæique liberalitatem, quod citra exactionem pecuniarum imperatum, se dimisisset; medendi insuper ejus studium magnopere collaudat, nodulumque, cujus efficaciæ sanitati se redditum arbitrabatur, in quo quid reconditum erat, inscius ipsemet, videndum omnibus exhibet, quem Dux τοῦ περιάμματος experiendi cupidus reclusit, propriosque, capillos erubescens reperit.

9. Nonnulli auro colorem amissum fumo capillorum restituunt, floccumque crassitie digiti carboni ardenti imponunt, aurumque tingendum cum forcipe super fumum tenent.

10. Ut mulier cum altero adulterari haut possit, *Wecker de secretis. p. 256.* sequens tradit. Incide, inquit, de capillis ejus, & pulverem illorum tibi super feretrum antea melle inunctum, Sparge, & mox coeas cum muliere: & cum volueris solvere, ex tuis capillis fac similiter.

Ægyptii conceptis verbis capillum pueri desectum divis suis nuncupabant, ut ab adversa valetudine respirarent.

PRÆPARATI.

Ex Capillis arte Chemica oleum elici poteſt, quod cæſariem & barbam prolixam reddit, teſte Croll. de ſignatur. rerum. Modus præparandi talis eſt.

CAPILLIS hominis ſani abraſis impleatur Retorta, & per latus in vas recipiens, non admodum valido igne arenæ inſtituatur deſtillatio: manabit ſuccus, qui cum tribus partibus aquæ mellis junctus, & capillis illitus, eoſdem copioſiores reddit. Hujus ſucceſſus fit melior, ſi capilli ad ſatietatem lardo ſuillo, prius ab omni ſalſedine loto,, impaſtati, cum adjectione ſalis communis decrepitati, lento primum, deinde auctiori, ſed non ferventi igne ad prædictum modum in Oleum deſtillentur. Præmittere tamen hic poteſſumus inunctioni, id, quod habet *Lemn, l. 4. de Natur. miracul. c. 16.* ut ſi ii, qui barbatuli videri affectant, alendæque barbæ ſtudioſi ſunt, ſæpius illam ſegetem ſibi adimi patiantur, quo laxatis ſpiramentis, atque agitatione crebra excitato calore, qui humorem elicit, affluentius pili erumpant, quod Veris potiſſimum menſibus tentari debet, quo anni tempore calor & humor in corpore augeſcit, atque in illas partes diffunditur: Ubi enim ſæpius barbam reſecari contingit, ut gramina denſius fruticantur pili ac cæſaries; habent enim crines rationem cum gramine ac virgultis, quæ crebrius detonſa ac demeſſa celerius ſuccreſcunt, ac ſe proferunt uberius, ſæpius itaque abraſo loco linimentum hoc prædictum inungi poteſt.

Vel etiam ſequens conſtans ex crematis capillis.

℞. Radic. cannar.
Cortic. jugland. an. uſt. ℥. ii.
Capillorum humanorum combuſtor. ℥. i.ß.
Rad. abrotan.
Rutæ murariæ an. ſcr. iiii.
Ladani ℥. i.
Pingued. ex mech. equin.
Ol. abrotan an. q. ſ. F. l. a. Ungu.

Quod

Quod si quoque Capilli humani liquore mellis permixti, arte Chymica præparati, in oleum abeant, & hoc iis, quæ pilos eliciunt, jungatur, nobilius concinnabitur ad proventum pilorum remedium.

CAPUT II.

DE UNGUIBUS.

VArie sentit & dissentit Philosophorum & Medicorum turba de generatione & Materia unguium: quidam illorum somniarunt, tendines vel etiam nervos per totos digitos dispersos, tandemque in unum coeuntes, substantiam unguium constituere: alii; ut videre est in Ros. Anglic. p. 1034. statuerunt, Ungues nutriri ex superfluo cordis nutrimento, hincque in Cordialibus & pectoralibus passionibus unguium mutationes respiciendas docent: Vulgaris est sententia, Ungues inter excrementa recensendos esse, cum ex tertiæ coctionis excrementis crassioribus pronascantur, & idcirco solius appositione alimenti, imperfecta insuper prolongentur accretione.

Verum, docente Cl. *Sennerto l.* 3. *Inst. p.* 1472. licet ungues cæteris partibus æquiparari nequeant, veritas tamen evincit, eos non tantum esse facultatis expultricis & caloris opus, sed à facultate formatrice, quæ tantum manuum & pedum digitis insita est, & Unguifica dici potest, effingi. Hinc, teste *Galeno* 2. *de administr. anat. c.* 11. Nutrimentum suum desumunt à sanguine (impuriore tamen) Imo Venam, Arteriam, Nervum in Unguium radicem terminari, αὐτοψία evincit. Nec multum ab hac sententia alienos video *Hippocrat. & Aristotel.* quorum ille *lib. de Carnib.* & *Natura puerorum* literis mandavit: materiam Unguium esse humidum glutinosum à calore exsiccatum & arefactum, ad extremas partes emissum. *Hic vero de generat. animal. c.6.* Ungues ex cibo gigni adventitio; per quem nihil

nihil aliud intelligere videtur, quam abundantem sanguinem, abundansque nutrimentum à nutritione reliquarum partium principalium.

USUS NATURALIS.

Plato, referente *Galeno*, opinatus fuit, Deos qui hominem construxerunt, ceu imperitos quosdam artifices, Ungues in summis digitis produxisse, eosdemque omni carere utilitate: sed Ethnico huic Philosopho principium illud sophorum, & antea prolatum, opponitur, Deus & Natura nihil faciunt frustra. Hinc recte *Gal.* 1. *de usu part.* 7. docuit, iis nobis opus esse in omni vita, omnibusque artibus, hisce potissimum, in quibus sunt exactæ manuum operationes; & cap. 10. inquit; Ungues gratia ejus, quod est melius, videntur facti: cum manus quidem sine Unguibus possint apprehendere, at, neque moles omnes, neque ita bene, ut cum illis: dura quippe corpora facile eas effugiunt, nisi in summitatibus digitorum durissima aliqua subsistat substantia, ejus loci carnem firmatura. Quia vero Ignobiliores sunt partes corporis nostri, hinc resecantur, quando digitorum extremitates excrescunt: Quod tamen olim non licebat in Navi, nisi iratis Ventis, ut habet ex Petronio *Riolan. Antropograph. l. 6. c. 51.* Senex Hippocrates dum unguium utilem & concinnam depingit formam illorum resecandorum terminos describit. *sed 6. de offic. p. m.* 778. Ungues neque longiores, neque breviores digitorum summitatibus sint; immodice longi, quia in se mutuo concidunt, exigua corpuscula exacte apprehendere non possunt; breviores vero digitorum extremitates ad apprehendendum invalidas efficiunt, qui autem summitatibus digitorum æquantur, firmam & tutam apprehensionem reddunt. Præter hanc apprehensionis commoditatem, alium adhuc annotat Unguium usum *Riol. l. c.* eos sc. inservire ad fricationis suavitatem, ut testatur *Socrates in Phæd. apud Platonem*, qui à vinculis solutus, priusquam sorberet

beret Cicutam, jucundissimam sibi fuisse fricationem lætabatur.

USUS MEDICINALIS.

Hic primum Onychomantia ex Hippocrate erigitur, is enim morborum signa ex Unguibus depromit, & salutis mortisq; instantis indicia exinde petit: In tabe adunci fiunt, & exalbidi incurvantur *Petr. Nosolog. Hermet. part.* 1. *p.* 283. In Peripneumonia Unguium livor & incurvatio malum portendit, ex eodem *p.* 299. si in Hydrope Ungues & digiti livescant, mors confestim expectanda est. *Hippocr. l prænot. p.* 47.

Adhæc & Morum & Ingenii signa ex Unguibus petuntur; sic enim *Pomponius Gauricus de sculptura p.* 330. Ungues lati colore albo, subflavoque Naturæ bonitatem; angusti, proliziores, curvique item & carnosi, improvidum, male sensatum; obliqui, inverecundum ac rapacem; parvi, pallidi, nigri, asperique Ungues, & qui carni adhæserint, calliditatis, & ut ult *Joann. ab Indagin.* malignitatis simul rotundiores vero libidinis indicium: Recte tamen monet hic autor ab *Indagin. p.* 267. Signa illa Unguibus attributa per semetipsa non satis esse idonea verum conjuncta potioribus, nonnullam habere efficaciam, videatur & *Baptista Port. in Phisiog. p.* 273.

Maculæ nonnullæ quoque in hominum inprimis sanorum unguibus conspiciuntur, ubi calor nativus delitescentem sanguinis partem ulterius ad radicem unguium protrudit, ibique separata heterogeneitate ab homogeneitate maculas illas albas discretim sejungit donec tandem motu Naturæ ad unguium extrema deveniant suntque hæ ipsæ maculæ flores quasi ipsorum unguium, caloremque robustum disignant, & sanitatem apprime compositam. De hisce *Cardan. lib. de subtilit.* 14. *p.* 942. sequentia habet: sunt in nobis vestigia quædam futurorum eventuum in unguibus. In quibusdam eventus maculæ hæ ostendunt, in aliis solum spes inanes:

sed

sed pro manus natura, & digitorum in quibus fiunt, & colorum & mutatione earum: In *Pollice* honores, & voluptates: in *Indice*, lucra: in *Minimo*, circa parva negotia; in *Medio*, cogitationes, studia & labores; in *annulari*, dignitatem. Nigræ quidem evertunt, & calamitates nunciant; albæ felicitates, magnæ magnas, & nitidæ manifestas; parvæ, parvas. In senibus & minus efficacibus spes pro factis pollicentur. Nigræ timores, non tamen adeo frequenter inanes, ut albæ, spes. Natura enim humana pronior ad malum, quam ad bonum. Et ætates & morbi, bona prohibere possunt, mala accersunt: semper tamen ubi splendida radiaverit, plus aliquid spe aut timore præstat. Dextra quidem ex industria, sinistra ex fortuna, nisi quis sinistram habeat firmiorem. Tempus autem initii, cum in radice Unguis apparent, effectus autem quando ad summum pervenerint. Interest & hoc inter spem & timorem ac effectum, quod hæ quidem, ut magis procedunt, eò magis nitent & augentur, aliæ minuuntur & evanescunt: Tempus autem mutationis totius partis unguis, quæ videtur, est mensium trium usq; ad sex, totius autem difficilius est conjectari, sed ut existimo, usque an annum pertingere potest. Hactenus *Cardan.* vide & *Baptist. Port.* l. 5. c. 14. *Hildebrand.* p. 3. *Magiæ natur.* p. 195.

Deinde Ungues & insignem obtinent facultatem fere antimonialem quæ facili negotio Vomitum ciere possit. Rasura enim Unguium humanorum epota in liquore conveniente, etiam minima alioquin quantitate, Vomitum infert, & Ventriculum à gravitate seu repletione ciborum ingestorum, imò & vitiosorum humorum ibidem contentorum levat.

Vomitorium non inelegans ex iis paratur hoc modo.

Resegmentorum unguium humanorum in tenuissimum scobem redactorum ʒ. i. macera aliquandiu in vini generosi lib. i. Donec ungues in mucilaginem pene abierint: vinum per chartam emporeticam filtra, & adjecta spiritus v. vin. i. usui reserva.

Hujus

Hujus liquoris ʒ. i. ad ʒ. vi. vel Unc. i. placide movet vomitum, ac ventriculum à quibuslibet impuritatibus sine aliqua noxa exonerat.

Præterea ab experientia, concomitante ratione, animadversum est, resegmenta unguium è manibus & pedibus sumpta, super umbilicum, præsertim Hydropicorum cum petia ligata, alvum purgare, serumque educere: ultra tamen horam ibidem minime esse relinquendum, ne subsequatur fluxus vehementior; Vigent enim in Unguibus qualitates similes iis, quæ sunt in Cyclamine, Esula, Colocynthide: quæ etiam extra applicata, purgationem inducunt: Hinc & medicamentum ex Unguibus paratum, & ab imperito, non consideratis considerandis, administratum, nimium turbat alvum, periculumque minatur.

Quod si fiat; possumus ex *Godefrid. Stegh l. 6. med. pract. c. 48. ex Weickard. tom. 2. curatior. medicinal. l. 5. c. 2.* medelam contra id notare: suadent illi primum ea esse adhibenda, quæ leniunt & laxant Ventriculum, qualia sunt: pinguia lubricantia: ut, Oleum olivarum, amygd. dulc. butyr. juscula pinguia, lac: & deinde, quæ irritationem tollunt, ac sedant violentum naturæ impetum, roborantque lacessitum Ventriculum, simulque vitali facultati sunt amica: ut, Nux mosch. mac. quæ cum Terra Lemnia vel Bolo armen. baccisque lauri vel junip. an. in pulverem subtilissime trita ex jusculo possunt propinari: vel, cum melle rosaceo in Opiatum redigi. Extrinsecus etiam inungatur Ventriculus ex ol. mastich, nuc. mosch. &c.

Weckerus l. 5. de secret. p. 117. refert febricitantes s. ex Tertiana, s. ex Quartana, sive etiam Quotidiana liberari, si resegmina unguium è manibus & pedibus deprompta, ceræ involvantur, matutinoque tempore ante solis exortum alienæ januæ affigantur. Utrum succedat, quilibet in simili casu experiri poterit: interim non sublata causa, vix tolletur effectus.

De sceleratis hominibus, habet *Weickard, l. c.* eos

eos ex segmentis unguium sordibus illorum, atque cantharidibus æqualiter permixtis pulverem conficere, qui, si in potu vel alio modo hauriatur, hominem ad Atrophiam deducat, qua etiam demum extinguitur, nisi in tempore eidem auxilium offeratur.

CAP. III.

DE SALIVA ET MORSU HUMANO.

PEr salivam nihil aliud intelligo, quam Pituitam eam, quæ à glandulis ad radicem linguæ, inter narium foramina & laryngem, sive inter Oesophagi & asperæ arteriæ principium sitis, profecta, os totũ humectat: Hanc gignunt glandulosa illa corpora, quæ & Amygdalæ dicuntur, de quibus *Bauhinus. l. 3. theatri Anat. c. 85.* eamque in os evidentibus venulis stillatim effundunt. A solerti id factitatum Natura videmus; quo perpetuo humore totæ fauces, lingua & palatum madescant, alioquin non præstarent exoptatum à Natura vocis & deglutionis usum: imo salivæ perfusione ciborum perfractio, & prima coctio in ore exactius conficitur, ut habet *Rondelet. method. curand. l. 2. c. 7. p. 329.*

Differt tamen saliva ab eo excremento crassiore, quod ex Cerebro tum per Os, tum per nares defluit, & mucus dicitur: Hoc enim excrementum effluit interdum à Cerebro humidiore, interdum à stomacho in os: Illa, si sanorum est hominum nulla qualitate est imbuta, sed prorsus insipida: sæpe tamen acris, acida & salsa deprehensa, ut habet *Gal. 3. de loc aff. 7.* quod si, à naturali jam recessit statu.

In Medicina non contemnendi notantur *Salivæ* effectus, partim miraculosi, partim Naturales.

Notat enim *Sabellicus*, nec non *Donatus Marcell.*

cell. l. 6. de med hist. mirab. p. 628. Vespasianum, Imperatorem Romanorum cæco homini visum restituisse, quum salivam oculorum membranis indidisset, quod, ut à Victore Principe exoraret, per somnum admonitus erat: Hoc sicuti dubium, inquit Marcellus; ita sane certissimum, omnibusque vulgatum, Galliarum Angliæque Reges, sola saliva digito linito, cruceque signatis strumas sanare. Qui salvator noster saliva sua benedicta cæco visum vere restituerit, ex sacris patet.

Porro, Serpentes salivam hominis, tanquam aquam serventissimam reformidare notat *Plinius l. 28. natural. histor. c. 4.* & ex eo *Mizaldus l. §. 38.* unde & Lucretius cecinit.

Serpens hominis contacta saliva
Disperit, & sese mandendo conficit ipsa;

& alibi;

Humanoque cadit serpens afflata veneno.

Quod & ex Galeno patet, qui *lib,* 10. *de simpl. med. facult. p.* 154. imposturam quandam à se observatam notat; quum enim quidam pollicitus ei esset, incantationem sese ostensurum, qua scorpios interficeret, semel eandem pronunciavit, & in scorpium expuit; inde rursum eam obmurmurans, iterum scorpium conspuit, ac ubi tertio dixisset, ac conspuisset, mortuus est scorpius; quum tamen ipse Galenus absque incantatione illa, aut simili, sola saliva occisum viderit scorpium; idque evenire scribit, celeriter à saliva esurientium, aut sitientium; tarde autem ab illis, qui cibo potuque sunt impleti.

Saliva certe jejunj hominis, Inprimis tamen biliosi & Cacochymici maligna quadam qualitate vix caret. Hinc & morsus à jejuno facti sunt deleterii & inter venenata reseruntur. Imo *Glandorp. in Specul. chirurg. p.* 231. existimat hominis irati morsum æque perniciosum & periculosum esse, ac Canis rabidi, similiaque fere excitare symptomata, ut quotidiana testatur experientia.

Paulus morsus ejusmodi cum venenosis confert,

fert, siquidem, inquit, maligniores multo cæteris aliis ulceribus apparent, præsertim si, qui morsum intulit, jejunus fuerit, anteaque legumina pro cibo sumpserit, atque inprimis lenticulam: asseritque se animadvertisse, quod non secus, ac si à cane rabido fuissent demorsi Hydrophobia correpti fuerint. Horum vero symptomatū ex morsu provenientium causæ non sunt dentes, qui, ut nonnulli volunt, à Natura & primo ortu ejusmodi habent proprietatem; nam nihil venenositatis iis inest: sunt enim ossa, & quidem durissima & siccissima ad masticationem inprimis à Natura nobis concessa. Experientia quoque confirmat, talia symptomata non fieri ratione Ossis: quot enim mordentur, qui facillimo, nullo superveniente accidente, negotio curantur? Videmus infantes papillas mammarum nutricum dentibus vulnerare, unde nil nisi dolor propter partis sensibilitatem, subsequitur. Ossa quoque alia fracta partes vulnerant, nec simile quid excitant. Adhæc, quot pueri in casu fortuito dentibus vel linguam vel labia vulnerant facillimeque curantur? Verum alia adest circa dentes materia, sputum scilicet seu saliva, & quidem non omnis, alias enim morsus placati & sedati hominis & infantum, utpote qui sputum in Ore habent, esset tam perniciosus. Ast ille morsus est periculosus, in quo sputum tantopere agitatur, ut spumæ reddatur simile, & acrimoniam ac venenositatem quandam ob bilis quæ commovetur ebullitionem acquirit: tale sputum, quia virulentiam aliquam habet, insinuat sese vulneribus à dentibus factis, & ad partes corporis circumstantes defertur, quod si illæ Nervosæ fuerint, tunc ob venenositatem & humoris acrimoniam stimulantur, ac ad spasmum, motus convulsivos efficiendum, irritantur: si vero Venæ & Arteriæ, has transit deferturque ad Cor, unde calor excitatur febrisque ac syncope oboriuntur. Adde quod & non raro Gangrænam & sphacelum inducat irati morsus, quoniam caliditas illa extranea spiritus & calorem nativum primo debilitat, postea superat.

Glandorpius

Glandorpius observat. 49. historiam quandam variorum symptomatum ex morsu hominis irati excitatorum sequentibus recenset.

Vir quidam ætatis suæ annum agens 40. cum rixas ac jurgia cum quodam suorum consanguineorum homine supra modum bilioso haberet, ac alter alteri cedere nollet, ad verbera pugnosque devenerunt. Tandem hic illius pollicem circa primum articulum, dentibus præsertim duobus illis, Caninis dictis, arripuit, & sauciavit, unde maximi exorti fuere dolores, ex dolore inflammatio totius manus, febris continua, inquietudo corporis, lipothymiæ frequentes, internus quoque capitis dolor: tempus quinetiam supra modum fuit calidum.

Hujus vulneris, symptomatumque curam autor ibidem subjungit, additque digitos quidem manus, sed non pollicem propter Nervi amissionem, tandem motum & sanitatem recuperasse. Vide & *Weickard. l. 4. p. 564.* Inprimis *Hildanum c. 1. obs. 84. & 85.* ubi duabus hisce observationibus historiam morsus humani & curationis ejusdem notat.

Huic sententiæ, quod nimirum morsus hominis jejuni, imprimis rufi aliquid venenositatis habeat, favent & alii. *Celsus l. 5. c. 27. Paræus l. 20. Chirurg. c. 9. Petrus de Abano de remed. venen. f. 46. Ferd. Ponzett. l. 3. c. 21. & ex his Weickard. lib. de Venen. p. 13.* Qui & stercus gallinarum, vel, ut vult *Avicenn. 2. can. tr. 2. cap. de homin.* stercus hominis illius super morsum ponunt: sic & nuces juglandes cum cæpis, sale & melle permixtæ, & emplastri loco impositæ, morsui hominis adversantur.

Pulegium quoque, ut & majoran. in Vino & ol. comun. cocta, & in forma Cataplasmatis apposita, privatim valent contra morsuram hominis: Dolorem mitigant à morsu provenientem decoctum Agrimin, betonic. chamom. abrotani cum Vino factum, addito unguento popul. quo locus affectus bene fomentetur. Post sequens Emplastrum imponi potest.

℞. Galban. in acet. dissolut. ℥. vi.
Terebinth.

Terebinth. ʒ. iii,
Colophon. ʒ. ii Ceræ. ʒ. v.
Ol, comm. Unc. iii.
Minii ʒ. i.
Lithargyr. ſubtilis ſ. pulveriſ. ʒ. i. ß.
diſſolvantur.

Omnia in oleo, addendo aceti roſac. cochlearia iii. Coque ſine intermiſſione agitando ad Emplaſtri conſiſtentiam.

Quidam in curando morſu Humano exhibent pulverem cancrorum uſtorum ʒ. ß. cum Vino.

Weickard. l. 5. *p.* 12. ſcribit, Vetularum ſalivam ob menſtrui retentionem majus redolere venenum, viresque dejicere, quod illos experiri vult, qui horum ſalivam cantharis adhærentem imprudenter ſorbent: hinc ad infantes educandos vetulas ejuſmodi non bene eſſe diſpoſitas Medici recte docent: Vide & *Plater. tom.* 2. *p.* 777. *& ſeq. Lemn. l.* 2. *miracul. c.* 44. & *Roderic. à Caſtro in Medicopolitic. p.* 208. qui maſticatos cibos maxime à jejunis nutricibus infantibus exhibendos diſſuadet.

Nonnulli arma ſc. tela, jejuni hominis ſaliva inſici poſſe tradunt.

Utut vero SALIVA dictis modis diſpoſita virulentam obtineat naturam, nihilominus hominis non iracundi, ſani, & jejuni ad varios à Medicis adhibetur uſus.

§. 1. *Lemn. de occult. Nat. mirac. l. c. & Mizald. Centur.* 3. *memorab.* §. 7. *ex Galeno* docent, Salivam hominis jejuni confricatione & illitu lichenas, mentagram, impetiginem, varos, ſerpiginem, & omnis generis puſtulas tollere: & ſi cui parti corporis virulentæ beſtiolæ inſederint, crabrones, ſcarabæi, bufones, aranei tum aliæ pleræque, quæ ſuo contactu tumores dolorificos atque inflammationes inferunt, ſalivæ confricatione omnes affectus conſidere & diſcuti. Sic enim & *Plinius*, qui *l.* 28. *c.* 4. ſic de SALIVA, ait: Hominum, inprimis vero jejunam SALIVAM contra ſerpentes præſidio eſſe, conſtat: ſed & alios efficaces ejus uſus recognoſcit vi-

tæ

ta; despicimus Comitiales morbos, hoc est, contagia regerimus: simili modo & fascinationes repercutimus, dextræque clauditatis occursum: veniam quoq; à Diis spei alicujus audacioris petimus, in sinum spuendo etiam: eadem ratione terna despuere deprecatione in omni medicina mos est, atque affectus adjuvare: Incipientes furunculos ter præsignare jejuna saliva: mirum dicemus, sed experimento facile. Si quem pœniteat ictus eminus, cominusve illati, & statim expuat mediam in manum, qua percussit, levatur illico percussus à pœna. Hoc sæpe delumbata quadrupede approbatur, statim à tali remedio, correcto animalis ingressu.. Quidam vero aggravant ictus, ante conatum, simili modo saliva in manu ingesta. Credamus ergo & lichenas, leprasq; jejuno illitu assiduo arceri: item lippitudines, matutina quotidie velut inunctione; Carcinomata, modo terræ subacto: Cervicis dolorum saliva jejuni dextra manu ad dextrum poplitem relata, læva ad sinistrum: si quod animal aurem intraverit, & inspuatur, exire, rumpi scolopendras marinas sputo, item rubetas, aliasque ranas, & serpentes, si quis in hiatum earum expuat &c.

2. *Crato in cons. à Scholtzio collectis concil.* 289. In Erysipelate Phlegmonode radices Boraginis jejuno stomacho masticatas, pustulis imponendas suadet.

3. *Platerus de extuberant. p.* 394, Dicit, vulgo ad tollendas cicatrices propriam salivam adfricare: qui & *tract.* 2. *p.* 900. Emplastrum quoddam ad conglutinationem ex Calce, mastiche & saliva componit.

4. *Mullerus in miracul. Chym. p,* 169. Daucum masticatum Uteri strangulatum statim juvare asserit.

5. *Petrus Bayrus l.* 3. *de oculor aff. c.* 3. Ammoniaco à matre vel nutrice jejuna masticato, & in oculum pueri albugine laborantis immisso, morbum curat. Idem *c.* 5. livorem sub oculo à percussione factum emendat cymino inter dentes retento, & probe masticato, idipsum in oculum sufflando.

6. Pop-

6. *Poppius l.* 1. *Thesaur. med. p.* 126. Si intra aures Vermis devenerit, accipe salivam propriam, & ea inunge aures: aut morietur vermis, aut egredietur.

7. Ad calculum vesicæ & renum pellendum, quidam è Bdellio & saliva emplastrum componunt, umbilicoq; id imponunt: quo tamen alii, teste *Gal. de simpl. med. facult. l.* 6. p. 90. ad Bronchocelas, & Hydrocelas quoque utuntur.

8. Rustici triticum mansum imponunt furunculis: pollet enim vi digerendi & concoquendi: testaturq; Galenus aquam simplicem similem nequaquam producere effectum.

9. *Salomon Albert. in consil. Brendel.* p. 393. in Ganglio seu nodo malæ dextræ commendat, si mala mane, aut saliva jejuna tantum inungatur, aut folia sambuci masticata cum sale affricentur, dum ganglion distabuerit.

10. *Joann. de Vigo in Practic.* morsui Canis rabidi apponit nucleum juglandis ad homine jejuno masticatum, salivaq; tinctum: idem refert, plurimum conferre ad ciendum coitum, si cubeba masticata, salivaq; madefacta virga liniatur.

11. *Franciscus Joel l.* 1. *practic. s.* 3. de Convulsionibus affectam partem, ubi ex crassis halitibus ac flatibus musculos obstruentibus, & in tumorem elevantibus, convulsio oritur, saliva inungendam suadet.

12. Quidam ad prohibendum, ne capilli crescant, sumunt rubiginis ferri, testarum marinarum ustarum an. q. s. & cum SALIVA hominis miscent.

13. Alii exinde diagridii probam petunt; si sc. illud salivæ misceatur, & lactescat, justum proclamant: sin minus falsum.

14. SALIVA quoq; Microcosmi admirando Naturæ miraculo Mercurius seu Argentum Vivum figitur; quo etiam sic extincto pluribus in casibus Medici utuntur.

Mesue in Antidot. distinct. 11. ad scabiem argentum Vivum SALIVA hominis jejuni mortificatum, adjecto pauco oleo laurino & aliis pulveribus, commendat;

mendat; quo & in scabie utitur *Serapio l. de simpl. medic. c.* 385.

Hildanus elegans describit Emplastrum ad scrophulas & scirrhosos tumores emolliendos, resolvendos & discutiendos, *Cent.* 3. *obs.* 38. cum Mercurio saliva humana mortificato paratum.

Crato in Consil. 289. adversus Morphoicam faciem cum levi tumore & pustulis componit similiter Unguentum cum Mercurio prædicto modo extincto: monetq; salivam hominis debere esse jejuni, qui acetosis non vescitur, & ab allio, cæpis & similibus abstinet.

Vide *Roderic. à Fonsec. l. consult. medic.* 64. & alios Practicos, qui Mercurium saliva præparatum Unguentis, Emplastris, Linimentis, tum in scabie, tum in Lue Venerea & aliis defœdationibus adhibent.

15. Quid? quod & ad Alchymiam faciat: sic *Joannes Baptist. Birell. l.* 12. *alch. c.* 72. Orichalcum fulgidum, aurique instar reddit sequenti modo.

Salem ammoniac. cum SALIVA jejuni conterit, exacteque permiscet, ut fiat instar linimenti: hoc perungit vasa ex Orichalco. & prunis ferventibus imposita resiccat, tandem abstergit, & pannis lineis perfricat.

CAP. IV.

DE AVRIUM SORDIBUS.

IN cavitatibus aurium externarum excrementum quoddam Cerebri biliosum, quod aliis Cerimen dicitur, reperitur. Cerebrum quippe hominis magnum & amplum, plurimo indigens alimento, non est sine excrementorum abundantia: quæ censentur duplicia: alia tenuia, per suturas Cranii exhalantia; alia crassa, quæ partim per nares, partim per palatum evacuantur; partim etiam ad aures deponuntur, ut habet *Gal. 6. epid. s. 5. aph. 31. comm. & 2. de loc. aff. 9.* Hoc aurium excrementum in tanta sæpissime conspicitur copia, ut easdem arrodat, & purulentiam excitet.

USUS

USUS MEDICINALIS.

Non tantum ex aurium sordibus *Hippocr. 6. de morb. vulg. s. 5. aph.* 10. Prognosin quandam desumit, inquiens. Hominibus sordes in auribus, dulcis, mortifera; amara vero non; tum enim, quando illa dulcis est, Cerebrum à naturali statu recessit, excrementumque hoc perfecte conficere nequit; sed & internum earundem usum quidam exhibere voluerunt. *Galenus* tamen *lib.* 10. *de simple. medic. facult.* p. 147. adversus Xenocratem internum sordium illarum detestatur usum.

Cardanus l. 8. *de variet. rerum c.* 44. sordes hasce ebrietatem parere scribit; alii easdem Colica laborantibus in potu exhibent, præsentissimumque dicunt esse remedium.

Externus usus non ita execrandus: Commendatur autem in scorpionum ictibus, serpentumq; morsibus: Nec contemnendam in conglutinandis vulneribus præbent facultatem: Hinc à nonnullis Balsamis vulnerariis sordes illæ admiscentur, si præsertim in proprio corpore vulnera consolidanda fuerint.

Aliud à quibusdam sic paratur. ℞. sordes seu mucum ex auribus, quantum haberi potest, adde ol. nuc. mosch. expressum q. v. Coque invicem, donec lento calore oleum aliquantulum in forma Balsami inspissetur: eoque inunge vulnus.

Galen. 11. *de simpl. facult.* sordibus hisce fissuras & scissuras manuum curat:

Poppius l. 1. *Thesaur. med. p.*93. Cerimen aurium sumit, & eo prurituriente s oculos inungit.

Quod vero pondus aureæ monetæ accedat, si sordibus illis moneta quædam ignita inungatur, experientia fidem aliquando fecit.

CAP.

CAP. V.

DE SUDORE.

SUDOR tertiæ coctionis excrementum ab omnibus membris post nutritionem dimanans, sensibiliter per cutis poros expellitur: Non tamen in omnibus corporibus æque copiosus apparet: In sanis enim, & secundum naturam constitutis, materia sudoris copiosa vix colligitur: portio quidem materiæ serosæ cum sanguine relinquitur, & in corpus distribuitur, ea vero exigua est, & tanta, quanta pro sudore levissimo, vel potius madore sufficit: Copiosior tamen si apparet, id errore victus evenire, veri simile est: qui, si diutius duret, morbos præsagire solet: unde *Hippocr.* 4. *aphor.* 41. Sudor multus per somnum factus copiosiore cibo corpus uti significat: quod si parcius epulanti hoc accidat, vacuatione indigere, sciendum est.

Sudores interdum sanguineos apparuisse testatur *Aristot.* 3. *de part. anim.* 5. quod pariter confirmatur à *Theophrasto lib. de sudor.* ex sententia Mona Medici: Idem & in *lib. de utilit. respiration.* à *Galen.* adnotatum reperitur: Vide *Rondel. lib. de dignoscend. morb. c.* 11. & 18. *Fernel. l.* 6. *patholog.* 4. *Marcell. l.* 1. *de Med. histor. mirab.* p. 28. *Beniven. c.* 4. *de abdit. morb. causis. Silvaticum controvers. medic.* p. 26. *Massar. practic. medic.* p. 172. *Senn. Instit.* p. 313. *Baricell. de hydronosa Natur.* p. 151.

USUS.

Qui ex sudoribus Naturæ consulti suas desumunt Prognoses, ex Practicorum libris videri potest: Interim vilissimum hoc quamvis sit excrementum, ejus tamen vires veteres scrutari voluerunt: valetque hic illud:

Quæ neglecta jacent, pondus habere solent.

Sudore usi fuerunt contra scrophulas, si scili-

 cet

is cum verbasci herba & radice mixtus, folio involvatur, inque cineribus calefiat, & à virgine jejuna imponatur.

Odorem ejus sub brachio provenientis, delinquentibus subvenire dicunt.

Quidam buccellam panis sub axillis ad sudoris usque provocationem detentam, cani objiciunt, eumque individuum sic sibi conciliant comitem.

Narrant, quod si quis philtro fascinatus fuerit ad amandam præter voluntatem virginem, ut is novos induat calceos, miliareque unum obambulando conficeat, quo sudor animadvertatur; postque Vinum è calceo dextri pedis sudore madido hauriat, sic ab illicito illo amore liberari, amoremque in odium converti dicunt.

Beneficio sudoris omnes fere morbos esse curabiles per transplantationem cum vegetabilibus medio Sulphuris Microcosmici præparati, vult *Mylius* 7. *Basil. Chym.* p. 41. secundum sententiam Paracelsi: Multum sane, ut de morbifica constitutione mediante sudore, secedit, ita & plurimum per eundem alteri corpori communicari potest: quod vel in Gallicis, leprosis, scabie infectis, & peste laborantibus manifestum est. Vide *Medicin. Diastatic. Tentzel. cap.* 4. *& seqq.*

CAP. VI.

DE LACTE.

LAC est utile corporis excrementum, sanguine à rubro in candidum à mammis verso, redundans ad fœtus nutrimentum: sanguis enim menstruus (de quo plura post) in fœminis superfluus & inutilis, solaque quantitate molestus, tum postquam editus est fœtus ad mammas ascendit *Gal. l. de vene sect. adversus Erasistr.* tam per Venas ab Utero exsurgentes, quam per eas, quæ à propaginibus Venæ cavæ descendunt: Eodem loci lactifica vi glandularum, quas *Hipp. l. de Glandul.* mammas sc. mammillas vocat;

cat; alii glandulosa corpora, sanguis in album & rubro vertitur, naturam, nomenque lactis meretur; sic, concludente Galeno, liquet, unam & lactis & menstruorum esse substantiam, amborumque rivorum fontes communes, Venas; Quamobrem, quibuscunque per ætatem menses fluere cessarunt, his neque in mammillis lac amplius colligitur: quæcumque etiam purgandi tempora adhuc habent, dum; lactant, plerumque à purgatione cessant: Animalia quoq; utero non gerentia, neque lactis proventu gaudent: quibus vero id ipsum suppetit, illa etiam ad concipiendum à Natura idonea sunt.

Utut vero fæminis duntaxat competit: nullum tamen propterea corruptionis signum ex lactis præsentia desumi potest, cui sententiæ & Aristoteles subscripsit: Observavit enim in viris tantam lactis copiam è mammis profluentem, quanta suctioni sufficeret: sic & Cardanus Venetiis virum triginta vidit annorum, cui adeo lac in mammis abundavit, ut non solum sufficeret puero lactanti, verum etiam pro libitu saliendo prorumperet: Insuper narrant lustratores novi orbis, viros ibidem pene omnes maxima lactis copia abundare.

Alexander Benedictus l. 3. *Anat. c.* 4. scribit; M. Maripertum tradidisse Syrum quendam, cui filius infans mortua conjuge superesset, ubero sæpius admovisse, ut famen filii vagientis frustraret, continuatoq; suctu lacte manasse papillam, quo exinde nutritus est, magno totius urbis miraculo. Ex *Schenckii obs.* 290. *l.* 2. constat, civem quendam Brisacensem, ab ipsa juventutis ætate ad annum usque quinquagesimum quintum, ambabus mammis lacte tam copioso abundasse, ut per jocum in conventibus ebrius jam factus, compressis mammis, lac in assidentium è regione faciem exstringeret, atque ejacularetur.

Quod si itaque viri lac generant, quidni & idipsum in Virginibus concedi posset, cum in his mammæ majores sint, & ampliores, copiosissimoque sanguine abundent? Id quod & ex historiis confirmatur.

Alexander Bened. l. 3. *Anat. c.* 4. scribit se vidisse

 mulierem,

fert, siquidem, inquit, maligniores multo cæteris aliis ulceribus apparent, præsertim si, qui morsum intulit, jejunus fuerit, anteaque legumina pro cibo sumpserit, atque inprimis lenticulam: asseritque se animadvertisse, quod non secus, ac si à cane rabido fuissent demorsi Hydrophobia correpti fuerint. Horum vero symptomatū ex morsu provenientium causæ non sunt dentes, qui, ut nonnulli volunt, à Natura & primo ortu ejusmodi habent proprietatem; nam nihil venenositatis iis inest: sunt enim ossa, & quidem durissima & siccissima ad masticationem inprimis à Natura nobis concessa. Experientia quoque confirmat, talia symptomata non fieri ratione Ossis: quot enim mordentur, qui facillimo, nullo superveniente accidente, negotio curantur? Videmus infantes papillas mammarum nutricum dentibus vulnerare, unde nil nisi dolor propter partis sensibilitatem, subsequitur. Ossa quoque alia fracta partes vulnerant, nec simile quid excitant. Adhæc, quot pueri in casu fortuito dentibus vel linguam vel labia vulnerant faciliimeque curantur? Verum alia adest circa dentes materia, sputum sc. seu saliva, & quidem non omnis, alias enim morsus placati & sedati hominis & infantum, utpote qui sputum in Ore habent, esset tam perniciosus. Ast ille morsus est periculosus, in quo sputum tantopere agitatur, ut spumæ reddatur simile, & acrimoniam ac venenositatem quandam ob bilis quæ commovetur ebullitionem acquirit: tale sputum, quia virulentiam aliquam habet, insinuat sese vulneribus à dentibus factis, & ad partes corporis circumstantes defertur, quod si illæ Nervosæ fuerint, tunc ob venenositatem & humoris acrimoniam stimulantur, ac ad spasmum, motus convulsivos efficiendum, irritantur: si vero Venæ & Arteriæ, has transit deferturque ad Cor, unde calor excitatur febre que ac syncope oboriuntur. Adde quod & non raro Gangrænam & sphacelum inducat irati morsus, quoniam caliditas illa extranea spiritus & calorem nativum primo debilitat, postea superat.

Glandorpius observat. 49. historiam quandam variorum symptomatum ex morsu hominis irati excitatorum sequentibus recenset.

Vir quidam ætatis suæ annum agens 40. cum rixas ac jurgia cum quodam suorum consanguineorum homine supra modum bilioso haberet, ac alter alteri cedere nollet, ad verbera pugnosque devenerunt. Tandem hic illius pollicem circa primum articulum, dentibus præsertim duobus illis, Caninis dictis, arripuit, & sauciavit, unde maximi exorti fuere dolores, ex dolore inflammatio totius manus, febris continua, inquietudo corporis, lipothymiæ frequentes, internus quoque capitis dolor: tempus quinetiam supra modum fuit calidum.

Hujus vulneris, symptomatumque curam autor ibidem subjungit, additque digitos quidem manus, sed non pollicem propter Nervi amissionem, tandem motum & sanitatem recuperasse. Vide & *Weickard. l. 4. p. 564.* Inprimis *Hildanum c. 1. obs. 84. & 85.* ubi duabus hisce observationibus historiam morsus humani & curationis ejusdem notat.

Huic sententiæ, quod nimirum morsus hominis jejuni, imprimis rufi aliquid venenositatis habeat, favent & alii. *Celsus l. 5. c. 27. Paræus l. 20. Chirurg. c. 9. Petrus de Abano de remed. venen. f. 46. Ferd. Panzett. l. 3. c. 21. & ex his Weickard. lib. de Venen. p.* 13. Qui & stercus gallinarum, vel, ut vult *Avicenn. 2. can. tr. 2. cap. de homin.* stercus hominis illius super morsum ponunt: sic & nuces juglandes cum cæpis, sale & melle permixtæ, & emplastri loco impositæ, morsui hominis adversantur.

Pulegium quoque, ut & majoran. in Vino & ol. comun. cocta, & in forma Cataplasmatis apposita, privatim valent contra morsuram hominis: Dolorem mitigant à morsu provenientem decoctum Agrimin, betonic. chamom. abrotani cum Vino factum, addito unguento popul. quo locus affectus bene fomentetur. Post sequens Emplastrum imponi potest.

℞. Galban. in acet. dissolut. ℥. vi.

Terebinth.

Terebinth. ℥. iii,
Colophon. ℥. ii Ceræ. ℥. v.
Ol, comm. Unc. iii.
Minii ℥. i.
Lithargyr. subtilis s. pulveris. ℥. i. ß. dissolvantur.

Omnia in oleo, addendo aceti rosac. cochlearia iii. Coque sine intermissione agitando ad Emplastri consistentiam.

Quidam in curando morsu Humano exhibent pulverem cancrorum ustorum ℥. ß. cum Vino.

Weickard. l. 5. p. 12. scribit, Vetularum salivam ob menstrui retentionem majus redolere venenum, viresque dejicere, quod illos experiri vult, qui harum salivam cantharis adhærentem imprudenter sorbent: hinc ad infantes educandos vetulas ejusmodi non bene esse dispositas Medici recte docent: Vide & *Plater. tom. 2. p. 777. & seq. Lemn. l. 2. miracul. c. 44.* & *Roderic. à Castro in Medicopolitic. p. 208.* qui masticatos cibos maxime à jejunis nutricibus infantibus exhibendos dissuadet.

Nonnulli arma sc. tela, jejuni hominis saliva inficci posse tradunt.

Utut vero SALIVA dictis modis disposita virulentam obtineat naturam, nihilominus hominis non iracundi, sani, & jejuni ad varios à Medicis adhibetur usus.

¶ 1. *Lemn. de occult. Nat. mirac. l. c. & Mizald. Centur. 3. memorab. §. 7. ex Galeno* docent, Salivam hominis jejuni confricatione & illitu lichenas, mentagram, impetiginem, varos, serpiginem, & omnis generis pustulas tollere: & si cui parti corporis virulentæ bestiolæ insederint, crabrones, scarabæi, bufones, aranei tum aliæ pleræque, quæ suo contactu tumores dolorificos atque inflammationes inferunt, salivæ confricatione omnes affectus considere & discuti. Sic enim & *Plinius*, qui *l. 28. c. 4.* sic de SALIVA, ait: Hominum, inprimis vero jejunam SALIVAM contra serpentes præsidio esse, constat: sed & alios efficaces ejus usus recognoscit vi,

ta; despicimus Comitiales morbos, hoc est, contagia regerimus: simili modo & fascinationes repercutimus, dextræque clauditatis occursum: veniam quoq; à Diis spei alicujus audacioris petimus, in sinum spuendo etiam: eadem ratione terna despuere deprecatione in omni medicina mos est, atque affectus adjuvare: Incipientes furunculos ter præsignare jejuna saliva: mirum dicemus, sed experimento facile. Si quem pœniteat ictus eminus, cominusve illati, & statim expuat mediam in manum, qua percussit, levatur illico percussus à pœna. Hoc sæpe delumbata quadrupede approbatur, statim à tali remedio, correcto animalis ingressu.. Quidam vero aggravant ictus, ante conatum, simili modo saliva in manu ingesta. Credamus ergo & lichenas, leprasq; jejuno illitu assiduo arceri: item lippitudines, matutina quotidie velut inunctione; Carcinomata, modo terræ subacto: Cervicis dolorum saliva jejuni dextra manu ad dextrum poplitem relata, læva ad sinistrum: si quod animal aurem intraverit, & inspuatur, exire, rumpi scolopendras marinas sputo, item rubetas, aliasque ranas, & serpentes, si quis in hiatum earum expuat &c.

2. *Crato in consf. à Scholtzio collectis concil.* 289. In Erysipelate Phlegmonode radices Boraginis jejuno stomacho masticatas, pustulis imponendas suadet.

3. *Platerus de extuberant. p.* 394, Dicit, vulgo ad tollendas cicatrices propriam salivam adfricare: qui & *tract* 2.p. 900. Emplastrum quoddam ad conglutinationem ex Calce, mastiche & saliva componit.

4. *Mullerus in miracul. Chym. p,* 169. Daucum masticatum Uteri strangulatum statim juvare asserit.

5. *Petrus Bayrus l.* 3. *de oculor aff.c.*3. Ammoniaco à matre vel nutrice jejuna masticato, & in oculum pueri albugine laborantis immisso, morbum curat. Idem *c.* 5. livorem sub oculo à percussione factum emendat cymino inter dentes retento, & probe masticato, idipsum in oculum sufflando.

6. Pop-

6. *Poppius l. 1. Thesaur. med. p.* 126. Si intra aures Vermis devenerit, accipe salivam propriam, & ea inunge aures: aut morietur vermis, aut egredietur.

7. Ad calculum vesicæ & renum pellendum, quidam è Bdellio & saliva emplastrum componunt, umbilicoq; id imponunt: quo tamen alii, teste *Gal. de simpl. med. facult. l. 6. p.* 90. ad Bronchocelas, & Hydrocelas quoque utuntur.

8. Rustici triticum mansum imponunt furunculis: pollet enim vi digerendi & concoquendi: testaturq; Galenus aquam simplicem similem nequaquam producere effectum.

9. *Salomon Albert. in consil. Brendel. p.* 393. in Ganglio seu nodo malæ dextræ commendat, si mala mane, aut saliva jejuna tantum inungatur, aut folia sambuci masticata cum sale affricentur, dum ganglion distabuerit.

10. *Joann. de Vigo in Practic.* morsui Canis rabidi apponit nucleum juglandis ad homine jejuno masticatum, salivaq; tinctum: idem refert, plurimum conferre ad ciendum coitum, si cubeba masticata, salivaq; madefacta virga liniatur.

11. *Franciscus Joel l. 1. practic. s.* 3. de Convulsionibus affectam partem, ubi ex crassis halitibus ac flatibus musculos obstruentibus, & in tumorem elevantibus, convulsio oritur, saliva inungendam suadet.

12. Quidam ad prohibendum, ne capilli crescant, sumunt rubiginis ferri, testarum marinarum ustarum an. q. s. & cum SALIVA hominis miscent.

13. Alii exinde diagridii probam petunt: si sc. illud salivæ misceatur, & lactescat, justum proclamant: sin minus falsum.

14. SALIVA quoq; Microcosmi admirando Naturæ miraculo Mercurius seu Argentum Vivum figitur; quo etiam sic extincto pluribus in casibus Medici utuntur.

Mesue in Antidot. distinct. 11. ad scabiem argentum Vivum SALIVA hominis jejuni mortificatum, adjecto pauco oleo laurino & aliis pulveribus, commendat;

mendat; quo & in ſcabie utitur *Serapio l. de ſimpl. medic. c.* 385.

Hildanus elegans deſcribit Emplaſtrum ad ſcrophulas & ſcirrhoſos tumores emolliendos, reſolvendos & diſcutiendos, *Cent.* 3. *obſ.* 38. cum Mercurio ſaliva humana mortificato paratum.

Crato in Conſil. 289. adverſus Morphoicam faciem cum levi tumore & puſtulis componit ſimiliter Unguentum cum Mercurio prædicto modo extincto: monetq; ſalivam hominis debere eſſe jejuni, qui acetoſis non veſcitur, & ab allio, cæpis & ſimilibus abſtinet.

Vide *Roderic. à Fonſec. l. conſult. medic.* 64. & alios Practicos, qui Mercurium ſaliva præparatum Unguentis, Emplaſtris, Linimentis, tum in ſcabie, tum in Lue Venerea & aliis defœdationibus adhibent.

15. Quid? quod & ad Alchymiam faciat: ſic *Joannes Baptiſt. Birell. l.* 12. *alch. c.* 72. Orichalcum fulgidum, aurique inſtar reddit ſequenti modo.

Salem ammoniac. cum SALIVA jejuni conterit, exacteque permiſcet, ut fiat inſtar linimenti: hoc perungit vaſa ex Orichalco. & prunis ferventibus impoſita reſiccat, tandem abſtergit, & pannis lineis perfricat.

CAP. IV.

DE AVRIVM SORDIBVS.

IN cavitatibus aurium externarum excrementum quoddam Cerebri bilioſum, quod aliis Cerimen dicitur, reperitur. Cerebrum quippe hominis magnum & amplum, plurimo indigens alimento, non eſt ſine excrementorum abundantia: quæ cenſentur duplicia: alia tenuia, per ſuturas Cranii exhalantia; alia craſſa, quæ partim per nares, partim per palatum evacuantur; partim etiam ad aures deponuntur, ut habet *Gal. 6. epid. ſ.* 5. *aph.* 31. *comm. &* 2. *de loc. aff.* 9. Hoc aurium excrementum in tanta ſæpiſſime conſpicitur copia, ut eaſdem arrodat, & purulentiam excitet.

USUS

USUS MEDICINALIS.

Non tantum ex aurium sordibus *Hippocr. 6. de morb. vulg. s. 5. aph.* 10. Prognosin quandam desumit, inquiens. Hominibus sordes in auribus, dulcis, mortifera; amara vero non; tum enim, quando illa dulcis est, Cerebrum à naturali statu recessit, excrementumque hoc perfecte conficere nequit; sed & internum earundem usum quidam exhibere voluerunt. *Galenus* tamen *lib.* 10. *de simple. medic. facult. p.* 147. adversus Xenocratem internum sordium illarum detestatur usum.

Cardanus l. 8. *de variet. rerum c.* 44. sordes hasce ebrietatem parere scribit; alii easdem Colica laborantibus in potu exhibent, præsentissimumque dicunt esse remedium.

Externus usus non ita execrandus: Commendatur autem in scorpionum ictibus, serpentumq; morsibus: Nec contemnendam in conglutinandis vulneribus præbent facultatem: Hinc à nonnullis Balsamis vulnerariis sordes illæ admiscentur, si præsertim in proprio corpore vulnera consolidanda fuerint.

Aliud à quibusdam sic paratur. ℞. sordes sc. mucum ex auribus, quantum haberi potest, adde ol. nuc. mosch. expressum q. v. Coque invicem, donec lento calore oleum aliquantulum in forma Balsami inspissetur: eoque inunge vulnus.

Galen. 11. *de simpl. facult.* sordibus hisce fissuras & scissuras manuum curat:

Poppius l. 1. *Thesaur. med. p.* 93. Cerimen aurium sumit, & eo prurituriente oculos inungit.

Quod vero pondus aureæ monetæ accedat, si sordibus illis moneta quædam ignita inungatur, experientia fidem aliquando fecit.

CAP.

CAP. V.

DE SUDORE.

SUDOR tertiæ coctionis excrementum ab omnibus membris post nutritionem dimanans, sensibiliter per cutis poros expellitur: Non tamen in omnibus corporibus æque copiosus apparet: In sanis enim, & secundum naturam constitutis, materia sudoris copiosa vix colligitur: portio quidem materiæ serosæ cum sanguine relinquitur, & in corpus distribuitur, ea vero exigua est, & tanta, quanta pro sudore levissimo, vel potius madore sufficit: Copiosior tamen si apparet, id errore victus evenire, veri simile est: qui, si diutius duret, morbos præsagire solet: unde *Hippocr. 4. aphor. 41.* Sudor multus per somnum factus copiosiore cibo corpus uti significat: quod si parcius epulanti hoc accidat, vacuatione indigere, sciendum est.

Sudores interdum sanguineos apparuisse testatur *Aristot. 3. de part. anim. 5.* quod pariter confirmatur à *Theophrasto lib. de sudor.* ex sententia Monæ Medici: Idem & in *lib. de utilit. respiration.* à *Galen.* adnotatum reperitur: Vide *Rondel. lib. de dignoscend. morb. c.* 11. *&* 18. *Fernel. l. 6. patholog. 4. Marcell. l.* 1. *de Med. histor. mirab. p.* 28. *Beniven. c.* 4. *de abdit. morb. causis. Silvaticum controvers. medic. p.* 26. *Massar. practic. medic. p.* 172. *Senn. Instit. p.* 313. *Baricell. de hydronosa Natur. p.* 151.

USUS,

Qui ex sudoribus Naturæ consulti suas desumunt Prognoses, ex Practicorum libris videri potest: Interim vilissimum hoc quamvis sit excrementum, ejus tamen vires veteres scrutari voluerunt: valetq; hic illud:

Quæ neglecta jacent, pondus habere solent.

Sudore usi fuerunt contra scrophulas, si scil. is

is cum verbasci herba & radice mixtus, folio involvatur, inque cineribus calefiat, & à virgine jejuna imponatur.

Odorem ejus sub brachio provenientis, delinquentibus subvenire dicunt.

Quidam buccellam panis sub axillis ad sudoris usque provocationem detentam, cani objiciunt, eumque individuum sic sibi conciliant comitem.

Narrant, quod si quis philtro fascinatus fuerit ad amandam præter voluntatem virginem, at is novos induat calceos, miliareque unum obambulando conficeat, quo sudor animadvertatur: postque Vinum è calceo dextri pedis sudore madido hauriat, sic ab illicito illo amore liberari, amoremque in odium converti dicunt.

Beneficio sudoris omnes fere morbos esse curabiles per transplantationem cum vegetabilibus medio Sulphuris Microcosmici præparati, vult *Mylius 7. Basil. Chym. p.* 41. secundum sententiam Paracelsi: Multum sane, ut de morbifica constitutione mediante sudore, secedit, ita & plurimum per eundem alteri corpori communicari potest: quod vel in Gallicis, leprosis, scabie infectis, & peste laborantibus manifestum est. Vide *Meditin. Diastatic. Tentzel. cap.* 4. *& seqq.*

CAP. VI.

DE LACTE.

LAC est utile corporis excrementum, sanguine à rubro in candidum à mammis verso, redundans ad fœtus nutrimentum: sanguis enim menstuus (de quo plura post) in fæminis superfluus & inutilis, solaque quantitate molestus, tum postquam editus est fœtus ad mammas ascendit *Gal. l. de venæ sect. adversus Erasistr.* tam per Venas ab Utero exsurgentes, quam per eas, quæ à propaginibus Venæ cavæ descendunt: Eodem loci lactifica vi glandularum, quas *Hipp. l. de Glandul.* mammas sc. mammillas vocat;

cat; alii glandulosa corpora, sanguis in album è rubro vertitur, naturam, nomenque lactis meretur; sic, concludente Galeno, liquet, unam & lactis & menstruorum esse substantiam, amborumque rivorum fontes communes, Venas; Quamobrem, quibuscunque per ætatem menses fluere cessarunt, his neque in mammillis lac amplius colligitur: quæcumque etiam purgandi tempora adhuc habent, dumq; lactant, plerumque à purgatione cessant: Animalia quoq; utero non gerentia, neque lactis proventu gaudent: quibus vero id ipsum suppetit, illa etiam ad concipiendum à Natura idonea sunt.

Utut vero fæminis duntaxat competit: nullum tamen propterea corruptionis signum ex lactis præsentia desumi potest, cui sententiæ & Aristoteles subscripsit: Observavit enim in viris tantam lactis copiam è mammis profluentem, quanta suctioni sufficeret: sic & Cardanus Venetiis virum triginta vidit annorum, cui adeo lac in mammis abundavit, ut non solum sufficeret puero lactanti, verum etiam pro libitu saliendo prorumperet: Insuper narrant lustratores novi orbis, viros ibidem pene omnes maxima lactis copia abundare.

Alexander Benedictus l. 3. *Anat. c.* 4. scribit; M. Maripertum tradidisse Syrum quendam, cui filius infans mortua conjuge supererat, ubero sæpius admovisse, ut famen filii vagientis frustraret, continuatoq; suctu lacte manasse papillam, quo exinde nutritus est, magno totius urbis miraculo. Ex *Schenckii obs.* 290. *l.* 2. constat, civem quendam Brisacensem, ab ipsa juventutis ætate ad annum usque quinquagesimum quintum, ambabus mammis lacte tam copioso abundasse, ut per jocum in conventibus ebrius jam factus, compressis mammis, lac in assidentium è regione faciem exstringeret, atque ejacularetur.

Quod si itaque viri lac generant, quidni & idipsum in Virginibus concedi posset, cum in his mammæ rariores sint, & ampliores, copiosissimoque sanguine abundent? Id quod & ex historiis confirmatur.

Alexander Bened. l. 3. *Anat. c.* 4. scribit se vidisse

 mulierem,

mulierem, cui, cum virgo esset, menses substiterant, & lacte semper diffluebat;

Vidit *Christoph.* à *Vega* puellam Brugensem, cui, mensibus suppressis, lac inerat mammis: Medicus vero cui res erat commissa (accusabatur enim ab hero) constantissime affirmabat, ipsam gravidam esse, quam ipse coram hero & aliis defendit, fieri posse dicens, ut Lac habeat mulier ex sola mensium retentione citra conceptionem: Tempore tamen novem mensium transacto, manifeste constitit, mulierem honeste vixisse, & virginem esse, cui aliquibus post diebus menses profluxerunt: *Comm. ad aph. 39. l. 5. Hippocratis.*

Vidit *Rodericus* à Castro, ut ipse notat *l. 4. Medicopolit, c. 12. p. 260.* virginem quandam probis & inculpatis moribus, cui in mensium suppressione, alba nihilominus & multa purgamenta ex Utero fluxerunt, simulque è mammis lac copiosum, ita ut cognatæ de Virginitate dubium conceperint, quas tamen ipse sufficientibus placavit rationibus: *Joannes* quidem *Matthæus in controvers. quæstion. medicin. p. 51.* negat esse verum & genuinum lac, & potius serosam quandam humiditatem; cujus tamen decisio alibi, volente Domino, proponetur: nec enim hic animus est controversias serere, sed potius variorum autorum observationes in medium proferre: Ut vero ordinario Naturæ motu per mammas; ita præter naturam per Uterum & mammas fluxisse observarunt *Bauhi. & Andr. Laur. l. 1. Anat. quæst. 10. Schenkius l. 2. obs. 285.* Vide & Henric. Kornmann. lib. de Virgin. statu, & jure. cap. 9. & 10.

USUS.

LAC quidem à natura Infantibus concessum est, ut eo ad sustentationem vitæ & augmentationem tam diu pro nutrimento utantur, donec ablactationis tempus appareat, nec enim solidum cibum, quia dentibus carent, dextre comminuere valent; Verum

& ad alios usus à Medicis adhibetur: Et vel Interne, vel Externe.

INTERNE.

1. Lac Humanum maxime commendatur in PHTHISI & HECTICA, quum omnium sit dulcissimum, naturæ nostræ amicum, & optime nutriens, ut testantur *Godefrid Steg. l. 5. med. pr. p. 300. Wecker. syntag. med. p. 162. Chr. à Vega l. 3. de arte medend. c. 7. Crat. consil. 86. Hercul. Saxon. l. 2. med. pr. p. 159. Pareus Thesaur. Chir. p. 234. Mercurial. Pract. med. l. 2. p. 219. Forest. l. 4. obs. 5. p. 115. Montan. consil. 181. Al. Massar. l. 2. med. pr. p. 245 Petrus Vascus exercit. med. tr. 8. p. 774. Cl. Senn. l. 1. Practic. p. 799. Henric. Petræus l. 1. Nosolog. H. cap. de Phthisi. Francisc. Joel. l. 3. pr. p. 41. Plat. tr. 3. p. 584. Hildan. de Gangræn. p. 730.* & alii Practici fere omnes.

Lac vero illud mulieris eligatur, quod provenit è corpore sano & bonæ constitutionis: impuræ enim morbosæ & Cacochymicæ mulieris lac, non vires medicamenti sustinet, sed corporis impuritatem secum fert: sanæ & bene constitutæ mulieris lac omnino candidum est, suavis saporis ac globosum, cujus gutta ungui superfusa, non facile diffluit, sed instar unionis & crystallinæ guttæ subsistit integra: Tempus quinetiam, quo lac mulgetur, perpendendum censent: medio enim & florente ætatis tempore lac emulsum, optimum: Mulier præterea non conturbanda est mariti congressu: Nutrixque optimis alimentis nutrienda, & à vini compotatione interdicenda: potus vero ejus sit Hydromel aut Ptisana: Ejusmodi vero Lac ex ubere, more infantium, sugendum, aut saltem recens mulctum, calensque bibendum.

2. In *Dysenteria* præfert Lac mul. *Senn. l. de dysent. p. 139. Gal. l. 10. de simpl. med. fac. Hildan. l. de dysent. p. 48.* hic inprimis summopere Lac Mul. in dysenteria convenire scribit; nam & p. 58. id sequenti confirmat exemplo.

Anno 1607. inquit puellum trium circiter annorum ætatis. N. N. ex longo & desperato fluore alvi, modo dysenterico, modo lienterico curandum habui, cui multa tum interna, tum externa, adhibui medicamenta, sed frustra; Tandem, cum de recuperanda sanitate parum spei superesset, & mater de novo peperisset, suasi, ut puellam recens natam nutrici alicui committeret, & puellum triennem, jam à diuturno morbo, viribus plane exhaustum, denuo lactaret: Paruit consilio, resque tam feliciter successit, ut paulatim constricta sit alvus, viresque ita recuperatæ, ut nunc vividus & robustus omnino puer iste existat,

3. Post Cantharidum & buprestis, quæ species est Cantharidis, assumptionem, unde vehemens stomachi & alvi dolor consequitur: Os Ventris intumescit, venterque ipse ac totum corpus attollitur, quemadmodum in Hydropicis fieri consuevit, & lotium cohibetur, commodissimum est *Muliebre* lac ex ipsis mammillis assidue exsuctum, ut habet *Aetius tetrab.* 4. *s.* 1. *p.* 693.

4. In *Melancholia* lacte humano non sine magno fructu usus est *Alexand. Massar. l. pract. medic.* p. 137.

5. In *Febribus* ante Paroxysmum *Fallop. lib. secret. p.* 178. patienti inscio aliquot guttas lactis mulieris puerum lactantis in ovum instillatas calidi exhiberi docet.

6. Recens natis antequam lac sugant, exhibent nonnulli amygdalas tritas cum lacte muliebri, & sic ab epileptico insultu tutos reddunt *Henr. Petr. Nosol. Harmon. p.* 107.

7. *Hippocrat. l. de Steril. hæc habet. p.* 757. Si nosse velis, an mulier sit conceptui idonea, butyrum & lac mulieris puerum lactantis in potu exhibeto, & si eructaverit, concipiet; sin minus, minime.

EXTERNE.

1. In *Oculorum affectibus*; Miris enim modis in hoc casu

casu à Practicis commendatur & extollitur: inter quos *Septalius l. 6. animadv. medic. p. 183.* scribit, mulieris lac ex uberibus recenter emulsum aut stillatum principem locum inter ea præsidia, quæ vehementissimum oculi dolorem demulceant, semper obtinere: Cautionem tamen hanc addit, ne eadem lactis portio diutius parti adhæreat: sæpe enim ab æstu corrumpitur, & à vehementi calore oculi acrimoniam concipit: blande itaque abstergendam, aut novo lacte asperso subluendam suadet.

Crato consil. 60. Aquæ Ophthalmicæ ad ruborem oculorum Lac Mul. admiscet, inprimis si dolor gravis sit: & *cons*. 61. dicit, detrahendam esse pelliculam interiorem ex leporinis auribus, eamque lacte muliebri imbuendam bono ac recenti, ac madidam oculis clausis aliquoties applicandam.

Witticbius, l. quem inscribit Vade mecum p. 110. ad oculos rubentes & lachrymantes experimentum hoc certissimum ponit: ℞. Thuris albiss. particulam, eam accende, & in aqua rosarum sæpius, trigesies circiter extingue: Huic colaturæ adde Lactis muliebr. cochl. i. oculisque instilla: sedat dolores, compescit defluxiones & dissipat rubedinem: Præmittantur tamen Universalia.

Idem & p. 117. myrrham dissolvendam docet cum lacte Mul. & oculis lachrymantibus instillandam: prodest enim mitigando dolores, maturando, siccando & confortando.

Ranzovius hanc componit aquam Ophthalmicam cum Lacte.

℞. Aq. verben. Betonic. Vini albi. an. Unc. i.
Tutiæ præparat. Aloes hepatic. an. ℨ. i.
Sach. cand. *Lactis muliebr*. an. ℨ. ii.
Camph. scr. ß.

Pulverisanda, pulverisentur & 24. horis in infusione permaneant: deinde colentur, & colatura oculi clausi abluantur.

Sennert. l. 1. de ophthalm. p. 805. seq. describit.

℞. Album ovi. Unc. ii.
Lactis mul. Unc. iii.

Succi Plantag. Unc. i. misc.

Et *pag.* 861. ex *Gal. lib. de medicam. facile parabil.* adversus suffusionem hoc habet.

℞. Fellis Galli Unc. ß.
Sanguin. muris ʒ. iii.

Cum lacte muliebri misceantur in formam collyrii.

Stockerus in praxi Med. p. 35. collyrium tale parat cum lacte muliebri, mitigans caliditatem, eamq; reprimens, & repercutiens.

℞. *Lactis mul.* filiam lactantis ʒ. v.
Mucilagnis psyll. tragacanth sem cydon. paratæ in aq. rosarum an. ʒ. iii.

Album. Ovi conquassati. ʒ. ii. misce, stillentur in oculum, vel serico panno intincto extrinsecus applicentur.

Hildanus Centur. 3. *obs.* 23. simile ferè quid componit pro anodyno.

℞. *Lactis mul.* Unc. iii.
Mucilag. sem. cydon. fœnugr. aq. rosar. & plantag. extract. Unc. ii.
Tutiæ præparat. Dr. ß.
Croci macerati in aq. rosar. & express. scr. ß. M. fiat.
Collyrium liquidum.
Et *Cent.* 2. *p.* 51. sequens tradit.

℞. Mucilag. sem. cydon. cum aq. rosar. & plant. extract.
Lactis mul. an ʒ. iii.
Camph. Croc. an. Dr. ß.

Misce, Fiat collyr. quod tepidè applicandum, singulisque diebus iterandum, alias acescit Lac, acriusque efficitur collyrium, unde deinde quoque dolorem & inflammationem adauget.

Petri Hispani aquam ad visum cum Lac. Mul. paratum describit *Mylius l.7 Basil. chym. seq.*

℞. Sem. fœnic. petrosel. apii, siler montan.
Carui, anisi, gallitrie.
Rad. chelidon acori.

Herb. betonic. agrimon. tormentill.
rut. verben. an. partes æquales, terantur & ponantur primâ die in Urina pueri virginis: secundâ in Vino albo; tertiâ in *Lacte Muliebr.* quartâ die destillentur hæc omnia & serva, ut balsamum, & obtura vas, ne exhalare possit: Visum acuit, oculos clarificat, maculas & panum delet; estque aqua ad oculorum caligines præstantissima.

Francisc. Joel. l. 2. Pr. p. 150. sequens descriptum reliquit Collyrium.

℞. *Lactis Mul.* fæmellam lactantis.
Aq. rosac. an. ℥. ii.
Camph. gr. iv. Misc. Fiat collyrium, quod manè ac vesperi lippientibus oculis instilletur.

Idem pag. 155. oculum sugillatum sequenti inungit.

℞. Sanguinis ex alis columbar. expressi Dr. ii.
Lactis muliaris temperat. ℥. ß.
Misc. Fiat collyr. cui adjiciatur thuris in tenuissimam pollinem redacti scr. i. Vide eundem; *p.* 166. qui & *p.* 171. sequens exponit collyrium visum clarificans.

℞. Fellis perdic. hirci an. ℥. ß.
Mellis virgin. *Lactis mul.* sanæ & boni habitus an. Dr. ii. Misc. quod manè & vesperi oculis illiniatur.

Al. Massarias l. 1. de Ophthalm. p. 153. in statu sequens describit.

℞. Pulpæ pomi cocti ℥. i.
Micæ panis infusæ ℥. ß.
Ovum N. i.
Lactis mulier, q. s. Misc.

Plater. tr. 2, p. 305. cùm dolorem sedare, & ardorem compescere volumus sequens ordinat, quod & habet *Rondelet. method. curand. morbor. p.* 240.

℞. Albumen ovi unius mediocris agitatum, adde tantundem aq. rosarum & *Lactis mul.* parùm; si decoctum pap. alb. loco aquæ rosar. sumatur, magis fiet anodynum. Et *pag.* 306.

℞. *Lactis muliebr.* albumin ovi an. ℥. ii.
Aq. rosar. ℥. i.
Succi chamom. melitot. an ℥. ß. agitentur simul & panni madefacti oculo applicentur: si Opii gr. ii. permisceantur, magis dolorem mitigabit.

In ulceris oculi abstersione p. 316. hoc mite proponit.

℞. *Lactis humani* ℥. i.
Sacch. cand. ʒ. i. ß. Myrrh. ℈. i. Misce, abstergit ulcera.

Rondelet. l. c. p. 248. & seqq. collyria parat ex sarcocolla *lacte mulieris* nutrita.

Insuper si Oculos ab insultu variolarum & morbillorum tueri velimus, aquis appropriatis commodè admisceri potest *Lac mul.* ut notat *David Lipsius tr. de variol. & morbill.*

Quum Anno 1627. Regiomonti Boruss. & vicinis in locis pueri variolis maximè afficerentur: statim in principio pro oculorum defensione, non sine felici successu sequens præscripsi.

℞. Aq. rosar. euphrag. plantag. an. q. pl.
Muliebris lactis puellam lactantis parum.
Camphoræ gr. ii.
Croci g. i. Misc. F. l-a. collyr. quo sæpissimè oculi regio tepidiusculè illiniri, & gutta una aut altera interdum immitti in oculum potest.

Nonnulli *Lac hum.* cum Vitriolo albo an. destillatum, ut Phlegma saltem prodeat, relictis acrioribus Spiritibus, in inflammationibus oculorum, nec non mammillarum, adhibent, illis placide instillatum; his vero linteolis applicatum.

Alii, contra nebulas & caliginem oculorum succum rutæ cum *lacte muliebr.* quæ puellum gestavit, commendant.

2. *In doloribus aurium.*

Plater. tr. 2. p. 327.

℞. *Lactis mulier.* rec. ℥. ii.
Albumin ovi agitati ℥. ß.
Axung. anseris dissolutæ ℥. ii. Misce.

Massar. p. 169. ℞. Philon. Roman. ʒ. ß.

Lactis mul. q. s. fiat linimentum: quo tamen cautè utendum, & non nisi summâ efflagitante necessitate.

Francisc. Joel. l. 2. pr. p. 181.

℞. Opii Thebaic. ℈. i.
Castorei medull. ʒ. ii.
Lactis mulier. ℥. iii. dissolvantur, percolentur, & ejus liquoris guttulæ aliquot tepidæ auribus instillentur.

In earundem *Tinnitu Fr. Joel. p.* 188. sequens habet.

℞. Ol. amygd. amar. ʒ. i.
Succ. cepar. aut porri ʒ. ß.
Lactis muliebr. ℈. ii. misceantur, & ejus guttæ aliquot tepidæ auribus instillentur.

p. 190. hunc ponit liquorem Narcoticum.

℞. Ol rosar. *Lactis muli.* a. ℥. ii. in quibus commixtis dissolvantur Opii Theb. gr. ii. cujus aliquot guttulæ instillentur tepidæ.

In *Inflammatione* aurium commendat seq. *Senn. l.* 2. *Pr. p.* 915.

℞. Lenticul. palustr. Mii
Medullæ panis in *lacte muliebri* infusæ ℥. iiii.
Fiat Cataplasma, quod auri applicetur.

Nonnulli instillant succum cyclaminis aut ranuncul. cum quadruplo *lactis muliebr.*

Vel. ℞. Succ. cyclam. ℥. ß.
Stercor. columb. ʒ. i.
Lactis mulier. ℥. i, ß. Misc. in aurem guttam unam atque alteram instilla, & lanâ lacte muliebri tepido madida auris occludatur.

In *Surditate Senn. p.* 940. *l.* 1. seq. describit.

℞. Succ. sedi maj. rec. ʒ. ii.
Lactis mulier. ʒ. i. Misc.

In purulentis auribus conficitur ex Lacte muliebr. & croco medicina secundum *Wittich. p.* 131.

III. *In doloribus Podagricis.*

Sic enim *Solenand. s.* 5. *consil. medic.* 4. scribit: Amatus Lusitanus tanquam singulare probat in articularibus

culari bus doloribus, quod Turcis magnatibus familiare sit remedium, nimirum, quod introductam in cubiculum capram emulgeant in locum dolentem; sed ego plus periculi ex applicatione hujus medicamenti timendum arbitror, quod facile calcibus, rationis expers bestia, incautis inferre posset, quam sperandum levamenti; Quapropter ratio suadet, *Fœmineum ex uberibus lac* sine periculo salubrius immulgeri posse.

Weichard p. 500, monet, Panem syncomisticum; ablata crusta, maceratum, vel decoctum in *lacte mul.* usitatissimum esse remedium in sedando dolore podagrico, ad cujus libram unam, postquam coxerint vitelli ovorum duo vel tres, aliquando permisce; addito pauco ol. lumbricorum vel ranarum, aut rosar. & si simul repellere volumus omissis oleis aceti modicum adjicimus.

4. *Ad casum pilorum.*

Petrus Bayr. p. 17. locum cum Cerebro vespertilionis in lacte muliebri dissoluto inungit.

5. *In Icteritia* pro sternutatorio ad mundificandam infectionem, coloremque laudabilem inducendum, accipit idem p. 342. Elaterium ad fabæ magnitudinem & dissolvit cum lacte muliebr. inque nares infundit.

6. *Phthisicorum* calor sequenti temperatur linimento, quod habet *Helidæus in consil. Scholz.* 80. & ex eo *Weick.* p. 153.

℞. *Lactis muliebr. puellum lactantis*, ℥. i,
Ol. amygd. dulc. rec. violar.
Unguenti rosat.
Butyri non saliti recent. ter. ex aq. fragr. abluti
Mucilag. sem. psyll. cydon. an. ℥. i.
Ceræ albæ parum, M. pro Unguento molli, quo Renes & Spina dorsi mane & vesperi inungenda.

Nævius in consil. Scholzii 259. adversus *Tabem* hoc præscribit:

℞. Olei violar. lotar. quater ex aq. lactuc. ℥. iiij.

Infri-

Infrigid. Gal. toties loti ex aq. violar. ℥.
i. ß.
Mucilag. semin. cydon. extractæ cum aq.
Barbæ Jovis.
Sem pap. alb. an. ʒ. i. ß.
Tragacanth. dissolut. in aq. malv. ℈. i.
Camphor. præparat. gr. i. ß.

Misce, adde semper duo cochlearia *Lactis mu-liebr.* puellam lactantis pro linimento, quo spina inungatur.

7. *Febrilis calor* eo temperatur: Sic *Gabelcoverus Cent. 1. curat. 27.* dicit febrili calori remedio esse *lac muliebre*, & tantundem ol. rosar. vel violar. cum modico aceto mixtum, dorso & circum tempora illitum: Sic post *Quartanam* ad sudorem subsequentem & calorem molestum, inungit Crato cons. Scholz. 255. seq. unguento spinam.

℞. Ol. violar. Nymph.
Lactis muliebr. an. ℥. i. M.

8. *In Uteri Intemperie calida*: unguentum pro dorso & lumbis sequens ponit *Weickard. p. 355.*

℞. Ol. rosac. ℥. iii.
Succi cucurb. vel Endiv. ℥. iv.
Lactis muliebr. ℥. ii. M. F. linim.

9. *Ad dolorem Hæmorrhoidum Weick. p. 174.*

℞. Mic. panis, si fieri potest, hordeacei, & in *lacte muliebri* madeat, addito vitello ovorum, & Croco.

10. *Epithema frontale Heurnii.* ℞. Farin. hordei M. ß. cum *lacte mul.* & aceto rosaceo, paucoque oleo rosato, misce pultis in formam, & duabus syndonibus excepta admove fronti.

11. *Eventum morbi* sic colligit *Fallop. lib. de Secret. p. 103.* Si scire desideras, inquit, utrum patiens decumbens succumbet, an non: tunc accipe urinam ejus, & adde parum *lactis muliebr.* puellam lactantis, optime invicem permisce; si lac coagulaverit, sanabitur; sin minus, morietur.

Per destillationem *lactis hum.* cum Vitriol. alb. an. mistis, elicitur Phlegma, quod, relictis acrioribus

ribus spiritibus, in inflammationibus oculorum nec non mamillarum adhibent, illis placide instillatum: his vero linteolis applicatum.

BUTYRUM denique ex lacte muliebri præparatur eximiæ & haut contemnendæ virtutis: E quo, primo cum Vino generoso & aq. euphras. an. macerato, postea cum sabulo teneriori mixto, si secundum artem destilletur prodibit oleum, oculorum suffusiones tollens, & ab iisdem præservans, si sc. una vel altera duntaxat gutta his terve instillata fuerit.

Elegans quoque Ophthalmicum ex ejusmodi butyro conficitur sequenti modo.

℞. *Butyr. human.* ℥. i. lava cum aq. rosar. donec a sero omni bene mundatum fuerit, illud postea igne lento funde, & affunde sensim aquæ ex eodem lacte human. cum Vitriol. alb. destill. ℥. i. continue movendo cum spatula lignea, in fine adde Tutiæ præparat. & in pollinem redactæ parum, ut instar linimenti fiat, quod deinceps in majorem oculi canthum leniter aliquoties immissum, alligato super oculum sacculo flor. chamomel. repleto; omnem Ophthalmiam subito tollit.

Hoc ipsum *butyrum hum.* inprimis valet adversus maculas & vestigia remanentia post infantulorum variolas.

Adversus *dolorem capitis* eo utitur *Poppius Thes. med.* p. 68.

℞. *Butyr. Hum.* ℥. iii.
Ol. Vitriol.
Salis an. ℥. i. misce. Fiat unguent. quo inunge partem dolentem.

In *Phthisi* & similibus affectibus, ubi butyrum vaccinum præscribitur, præstat Humanum, si in tanta haberi potest copia, id assumere.

CAP.

CAP. VII.

DE SANGUINE MENSTRUO.

VAriis hoc excrementum, tam docti tum mulierculæ exornarunt nominibus: vocant enim Menses, menstruas sive Lunares purgationes, Tempora, Malam septimanam, Consuetudinem, quod illis consuetum, & solæ hoc malo, singulis mensibus recurrente, per septem fere dies infestentur: Item flores; ut enim flos fructum antecedit, ita, ut plurimum, non nisi post hujus purgationem fœmina fructus profert: vel etiam, quod floris & rosæ instar, colorem in sanis obtineat rubicundissimum.

Menstruum hoc nihil aliud est, quam sanguis in muliere superfluus, imperfecte coctus, cruditatisque nota insignitus, sola quantitate peccans, quem Natura Lunatica periodo sc. singulis mensibus per uterum expurgat. Quum enim Mulier viro, frigidiore sit prædita constitutione, obque vitam sedentariam, quieti & otio plerumque dicatam, calor minus excitetur, omne illud alimentum, quod concoctione præparatum, haud potis illa est, aut partibus viventibus assimilare, aut per halitum digerere: partem itaque sanguinis elaborati in suam convertit naturam, partem singulis mensibus, sic jubente Natura per uterum excernit: Unde concludimus, falsa esse illa, fictaque, quæ vulgo de omni menstruo sanguine ex Plinio & aliis circumferuntur: quod sc. novella vitis eo tacta, in perpetuum lædatur; quod steriles fiant tactu fruges, moriantur insita, germina hortorum exurantur, mustum acescat, æs quoque & ferrum rubigine corripiantur, halitus mulieris menstruatæ speculi ac eboris nitorem obscuret: Et licet Zabiorum fuerit lex quædam, in qua cautum erat, ne mulier, cui menstrua fluerent, domo pedem efferret, sed ibidem delitesceret, locaque, quæ calcaneo attigerat, cremarentur: tamen id plurimum superstitionis in se continere asseri-

mus

mus, nil vero urbanitati & honestati hic detractum censentes: Imo, cum & fœtus in utero eo nutriatur, inque lucem editus, menstruo in lac verso, sustentetur, quis id simpliciter venenum & ante dictos effectus inducere, assereret: in quibus tamen præter solitum immoratur, aut alio modo propter humorum corruptionem inficitur, id ex accidenti & omnino præter naturam fit, sic enim & venenum intra corpus generatur.

Locus, per quem menstrua fluere solent, est Uterus, interdum tamen ab eo deflectunt, & alium quærunt: *Cl. Sener. Instit.* p. 313. *ex anatom. Salamonis Alberti* adnotat, cuidam fœminæ singulis mensibus sanguinem ex Naturæ præscripto per mammas liberalissime evacuatum esse. *Amatus Lusit. Cent.* 2. *cur.* 17. in duabus nobilibus lactantibus sese id quoque observasse testatur: *Musa Brassavol.* mentionem facit mulieris, cui menstruus sanguis per ubera flueret: hæc gemellos nutriebat, qui vehementer sugentes, in lac eundem converti non patiebantur. *Rodericus à Castro l.* 2. *de nat. mul. c.* 11. refert, visas sibi mulieres, quibus per minimum digitum & annularem singulis mensibus sanguis tamdiu profunderetur, quousque per Uterum menstrua deficiebat purgatio: alteram cui per majorem sinistri oculi canthum manaret.

Bauhin. l. 1. *oper. Anat.* per alvum fluxisse observavit: *Joann. Iacobus Krafft. Cent.* 3. *Hildan. observ.* 12. refert, alicui sanguinem menstruum, & per Os, & per nares ad aliquot dies copiose emanasse, mulieremque eum expuisse, quandocunque menses suppressi essent. Sic & *Romb. Dodonæus observat. medicinal.* refert, sese providæ ac sese exonerantis Naturæ exemplum in Virgine quadam observasse, quæ carnosa erat, calidoque temperamento prædita, sanguineque redundans: cum autem ætas adesset ad menstruas purgationes idonea, utpote sexdecim annorum, neque menses succederent, Natura per oculos superfluentem sanguinem expellere conata fuit; sanguineis guttis lachrymarum instar frequenter

ex Oculis profluentibus. Vide *Schenck. l. 4. observat.* 257. *Marcell. Donat. l. 4. Medic. hist. mirab. c.* 19. *p.* 409. *&c.*

USUS.

Menstruo sanguine intra Uterum contento, si mulier fœtum gestet, Natura pro aptissimo fœtus tum nutrimento, tum incremento utitur; imo fœtu in lucem edito, eundem sanguinem in Lac convertit, quo & sic familiarissimo illo pabulo sustentetur: Extra uterum sanguis hic etsi bonus, corruptionem tamen facile incurrit, quare & nullum ejus salutarem internum Medici perhibent esse usum; licet nonnulli eundem exsiccatum pulverisatumque in *calculo* commendent. Verum, quia Natura maxime luxuriat in antinephriticis medicamentis, quis ita absurdus erit, qui abominandũ hoc medium interne usurpabit?

Sunt &, qui *philtra* inde parant, verum tantum abest, ut male feriati illi voti sui compotes, ut potius eo ad insaniam homines redigant, variisque torturis exponant.

Weickard. l. 2. *de Venen. c.* 1. scribit, ab illius usu vehementer lædi ventriculum, nec non oblivionem induci maximam, quam, ut plurimum spasmus, item podagra, si cholerico in potu propinetur, antecedunt; assumentem quoque temporis progressu fieri leprosum, ob Hepar vitiatum & corruptum, & si cura negligatur, hominem perire.

Si quis tamen Venenum hocce assumpserit, sequentia ei exhiberi possunt. Primo secundum *Steegh. l.* 7. *c.* 49. præmittantur Universalia, deinde exhibeatur ʒ. i. pulver. margaritar ex aq. melissophyll. Item Theriac. ʒ. i. ex aq. fumaria. Prodesse quoque scribit Trochisc. de Viperis, qui vel per se ad ʒ. i. vel in decocto radic. dictamn. cum Vino facto, addendo parum acetosit. citri ab initio exhiberi possunt.

Crollius Basil. Chymic. pag. 259. hoc in casu commendat Arcan. Theophrasti. *Weickard. l. c.* prodesse dicit

comedere

comedere carnem serpentum nostratium cum anetho, sale, aliisque, quibus anguilla condiri solet, coctam, capite tamen & cauda ad palmum id est quatuor digitorum transversorum latitudinem prius abscissis.

Geber, ut idem refert, in lib. de florib. Natur. hoc remedii genus ponit, dicens: Accipe principium nostræ generationis, & da illi, cui exhibitum est menstruum, & sanabitur, nam vi peculiari resistit huic malignitati: Vide *Gratarol. de remed. venen.* c. 73.

Quid in *morbo comitiali* valeat, sequentia docent: *Mylius, l. 7. Basilic. Chym. p. 10.* inquit, Zenith juvenculatum, sc. sanguinem menstruum primo erumpentem cum aceto stylitico ex lacciniis eodem rubore infectis extractum & potui datum unice auxiliari comitialibus inveteratis, etiam hæreditariis seu transplantatis, ut causa non sit nulla, quamobrem peritæ obstetrices natis infantibus ex vena umbilicali jamjam resecta guttas ad minimum tres statim per os infundant, securis postea, & per omnem vitam suam ab insultibus epilepticis liberam judicatis.

Sic & *Wecker. l. de secret. p.141.* ex Cornel. Agrippa inquit: Si radix Pæoniæ cum Castoreo & litura pannorum menstruosorum detur patienti, sanari morbum Comitialem.

Verum, cum tutiora & benigniora clementissimus Jehova adversus ejusmodi affectum nobis concesserit, merito hujus detestamur usum, obstetricesque non sine causa ab eodem abstinere possunt: Quis enim non præferret in recens natis ol. amygd. d. aut Syr. de cichor, cum Rhab. quæ longe usu probata & experta sunt?

Externus autem menstrui sanguinis usus nullatenus reformidandus.

Hunc cum adipe bovino ad ignem miscent, ac podagricis doloribus imponunt.

Alii virginis sanæ prima colligunt menstrua, & linteolum eo imbuunt, exsiccantque, & instar pretiosi conservant thesauri; plurimum enim condu-

cere ferunt in peste, apostematibus, carbunculis, si frustum pro magnitudine loci affecti abscindatur, & in acetum vel aquam rosarum immergatur, locoque imponatur, sæpiusque idipsum repetatur.

Ad extinguenda Erysipelata externarum partium multis sæpius profuisse certum est: cujus applicatio ita peragitur.

℞. Laciniam cruore menstruo alicujus sanioris fæmellæ infectam, macera in aceto rosaceo, donec idem discoloretur, & cruor omnis extractus sit: huic aceto imbue leviter sindonem rubeam aliquoties membro affecto circumplicabilem, relinque tantisper ibidem, donec sponte syndon exsiccata fuerit, quem denuo priori liquore imbutam applica, paulo post ruborem & dolorem evanuisse deprehendes.

Weickard. p. 613. scribit, nonnullos Verrucam non sine successu sanguine menstruo illinire.

Non vulgare quid narrat *Josephus l. 4. de bello Judaic. c. 27. p. 98.* è lacu scil. asphaltite in finibus Hiericho bitumen aliquod ejici, quod dum natat, ita firmiter navibus adhærere scribit, ut nequaquam inde ulla ratione separari possit, ita ut interdum periculum naufragii pertimescendum: quod tamen sanguine menstruo cum urina hominis mixto, separari potest.

Idem l. 7. ejusdem lib. c. 23. p. 146. notat, radicem quandam penes urbem Macheruntam in loco, qui Barras dicitur, crescere, & tempore vespertino ignem lucidum repræsentare, ad quam, quo quis propius accedit, eo radix longius secedit, donec sanguine menstruo, vel urina mulieris imbuatur: modum quendam colligendi ibidem depingit.

Ridiculum, quod ex manuscripto quodam huc de Venatione Philosophica transfero: sic ibidem: Ad lepores congregandos & capiendos, sæpissime sum expertus, & meis oculis vidi, sequens valere: Pannum maculatum primo menstruo fumo, & illud truncos affige in medium campum, interim calud ... regionem illam viciniorem aliquantulum panno.

no prius tangito & circumducito; tuncque congregabuntur, ita ut vel manibus comprehendi, vel & bombardæ ictu sisti possint: ne vero semper in loco illa fiat leporum congregatio, unum cape de minoribus, eundem crema, & in pulverem redige, cineresque hinc inde sparge, sic conventus ille destruetur.

CAP. VIII.

DE SECUNDINIS, VASIS UMBILICALIBUS ET GALEA.

SECUNDINÆ sic dictæ, quod secundo loco post fœtum sint editæ, sunt membranæ fœtum ambientes; quæ primo omnium formantur, quibus & nobilior seminis pars concluditur, spiritusque ac calor seminis tegitur, & quasi obvallatur: Harum non eadem est in humano fœtu, quæ in brutis ratio: In his enim præsertim Cornutis tres observantur: Chorion, Amnios, Allantoides: In illo duo tantum; Chorion & Amnios.

CHORION omni ex parte fœtum ambiens, mollioris pulvinaris instar, omnes Venas & Arterias fulcit, & sustinet.

AMNIOS membrana fœtui proxima, urinæ sudorisque conceptaculum; ex sententia nonnullorum est: his aquis puellus innatat, & in iis innocenter, ut in Balneo sedet, partusque inde speratur facilior quia lævius & lubricum magis reddat Uteri osculum.

Hæ membranæ, ut intra Uterum ab omni injuria fœtum defendunt, ita extra Uterum insignes hospiti olim suo fructus & utilitates conferre haut desinunt: ad varios enim usus à Medicis adhibentur; Eæque vel Solæ vel cum aliis mixtæ.

Si Solæ; tunc recentes à Vena umbilicali diligenter lotæ vino eluuntur, & in clybano, vel aptiori loco igne moderato exsiccantur, & pulverisantur: Valent,

Valent, 1. *ad gutturis strumas tollendas*, in ʒ. ß. exhibeatur in aq. abrotan: idque quotidie Lunâ decrescente.

2. *Secundinam retentam* mirifice educit, si dicto modo præparata ʒ. ß. pondere in jusculo gallinarum exhibeatur.

3. *Ad perditissima philtra*, quibuscunque modis, etiam intra corpus sumpta est præstantissima antidotus, si Secundin. præpar. ʒ. ß. cum extracto Theriacæ an. misceatur, & exhibeatur, idque bis singulis diebus, ut sudor eliciatur: symptomata tandem cessabunt, ac corpus pristinæ restituetur integritati.

4. *Dolores post partum* mitigant, quod *Rondeletius* hoc fundamento docet; quia animalia bruta secundinam devorare solent, idcirco ab ejusmodi doloribus immunia esse, experientia se cognovisse in canicula sua, cui cum secundinam subtraxisset, dolores quoque supervenisse testatur. *Weickard. p.* 331, 394, 399.

Alii in *Hystericis affectibus* ejus ʒ. ß. in infuso Fol. sen. ʒ. vi. Rad. Mechoac ʒ. ii. per aliquot dies exhibent.

5. In *Epilepsia* commendatur à *Stocker. in prax. medic. p.* 19. si cum appropriatis propinetur.

6. *Conceptum* Secundinas præparatas juvare scribit *Corbei. in Gynicæjo. l.* 2. *c.* 2. *p.* 197.

Efficacior erit effectus, si sequenti modo præparatio instituatur. Secundinas prius Spiritu vini lotas & maceratas in vitro probe clauso in fimo equino reconde, ut spatio duorum aut trium mensium in aquam limpidissimam & bene olentem dissolvantur. Cochleare unum hujus exhibeto Epileptico, in & ante Paroxysmum, postea eandem dosin toto decrescentis Lunæ tempore continuato.

Cum aliis quoque rebus Secundinæ permiscentur, & in usum veniunt.

1. *In Melancholia.*

Mylius Basilic. Chym. tr. 2. de Auro hunc pulverem D. Iodoci Hartmanni depingit,

℞. Flor.

℞. Flor. borag. bugloss.
violar. rorisin. an. ℈. i.
Matris perlar, ʒ. i.
SECUNDINÆ præpar.
Cortic. citr.
aurant. an. ʒ. ii.
Rad. bugloss. ʒ. vi.
Margar. lapid. 5. pretios.
Ossis de C. C. an. ℈. i.
Fol. O. Nu. xii. Omnia probe contrita misce: fiat Pulvis.

2. *In Epilepsia per consensum.*

Finckius in Encheirid. Dogm. Hermet. p. 41. hunc tradit pulverem.

℞. *Secundin. mulieris torrefactæ*, primiparæ filium enixæ ʒ. ß.
Cranii masculi anter. decollati calcinat: ʒ. i.
Pulver. pullorum Corvi mense Martio torrefacti. ʒ. ii.
Coagul. lepor. ʒ. i.
Rasur. C. C. ʒ. ii.
Castor. ʒ. ß.
Succin. albiss. ʒ. ii.
Gran. & rad. pæon. visc. quer. an. Luna decresc. collect. ʒ. ß.
Ambræ, mosc. an. ℈. ß.
Specier. Dianth. pleres archont.
lætific. Gal.
Corall. margarit. præparat. an. ℈. i.

Exhibe, misce & pulverisentur optime in Epilepsia ex Ventriculo, aut matrice, aut aliis causis ȩborta.

Alium habet ejusdem virtutis Conrad. Kunrad. part. 2. medull. destillat. p. 426.

℞. SECUNDIN. simili modo præparat. ʒ. ii.
Sem. pæon. Visci quern. an. i. t. collect.
Cranii hum. Stercor. Pavon. an. ℈. i. Omnia tenuissime pulverisata, & mixta inde vitro, insperge tantum

tantum Spir. Vitrioli, aut Spirit. Sulph. per campanam facti, ut materia prædicta incorporetur: materiam exsiccatam exime, & adde.

Liquor. perlar. & Corall. an. ℈. i. ad quantitatem totius adde Sachar. optimi tenuissime pulverisati:

Dosis ʒ. ii. in aq. Peon. aut alia appropriata.

3. *Ad impotentias & incantationes* avertendas sequentem describit Tincturam *Mylius in Antidotar. p.* 94.

℞. Castor genital. Cerv. piper. long. an ℥. i.
Satyr. cal. aromat. galang.
Sem urtic. meliss. borag. betonic. an ℥. ß.
Spec. lætific. G. Diambr. diamosch. d. an ʒ. i.
Theriac. Venet. ʒ. i.
SECUNDINÆ PRÆPAR. ℈. ii.
Sachar. lib. ß. Infunde omnia in Vino anisato, digerantur, ut fiat Tinctura: Si fortiorem desideras, adde scroti taurini juvenis pulverisati, formicar. caudæ stinc, marin. testicul. gall. &c. quantum placuerit.

4. Si animalcula in Ventriculo ex quacunque etiam causa animadvertuntur: secretum dicit esse Hartmann. in praxi pulverem *Secundinæ primiparæ* cujus ʒ. ß. ad ℈. ii. cum ʒ. i. extracti Theriac. vel cum aq. Theriacali Croll. aut mistura simplici absorbptus, talia, vel per maleficium, vel aliunde nata citissime enecat: Postea per alvum convenientibus expurganda.

5. *Petr. Bayr. p.* 427. notat, quod mulier, quæ modo peperit, cupitque certis de causis per aliquot annos sterilis esse, ligare debeat in secundin. infantis, tot grana Cataputiæ, quot annos ineptam se ad concipiendum exoptat.

Ad secundinas pertinet GALEA, quæ est velamen aliquod prædictarum secundinarum, quo facies obducitur: Nam si ægre magnoque conamine infans ex angustiis uteri eluctatur, ipsaque mulier stricti-

gris

oris sit angustæque naturæ, hærent membranæ prædictæ in mediis spatiis, illasque exuvias abstergi contingit, non secus, quam pelliculam in fronte, aliaque corporis parte extimam cutim atterimus, ubi per angustam rimam arctumque foramen sumus elapsuri; non secus ac coluber, cum senectam exuere vult, se per angusta locorum inferre solet.

Cornelius Gemma, ut habet *Riolan. l. 6. anthropograph. p.610.* existimat, separatam & peculiarem esse hanc tunicam Amnio multo tenuiorem, sed tamen solidiorem, limbo purpureo, veluti fimbria cinctam, atque sic capiti toti usque ad umbilicum penitus obvolutam, non sine ingenti periculo pueri, nisi quam celerrime detrahatur, ut ipse in primogenito suo filio, qui Galeatus in orbem venerat, observavit. Verum peritiores Anatomici portionem esse Amnii Tunicæ deprehenderunt, quæ interdum collo exquisite aptatur, propter umbilicum ea parte circumvolutum; quare, cum fœtus non potest istam membranam excutere, cogitur capite velato in lucem prodire.

De hoc velamine scil. Capitio multi multa nugantur, ac puerperis metum, spemque injiciunt.

Si enim nigricanti sit colore, tanquam ex Tripode pronunciant deliræ, ignaræque mentes, multa infantibus futura infesta, multaque sinistra impendere, ac spectris, strigibusque fore obnoxios, denique insomniis, nocturnaque inquietudine divexandos, nisi hoc comminutum potui exhibeatur. Quod si rubicundum illud sit, egregium illum fore vaticinantur, magnaque dexteritate ac successu omnia effecturum.

Hæc superstitiosa, anilisque opinio etiam veteribus insita erat; Refert enim *Ælius Lampridius in vita Antonini Diadumeni* cum hoc velamine natum ab ipso Ortu felicem fuisse; credebant enim Veteres pileum istum naturalem non tantum puero felicitatem portendere; verum etiam gestanti ad felicitatem conferre. Id obstetrices rapiunt, ac credulis

advocatis vendunt, quo se juvari putant in declamando & perorando: Quidam comment. super Canones refert. Prætum Clericum accusatum fuisse, & deprehensum cum isto pileo à muliere quadam accepto.

Joannes Chrysostomus non semel in sermonibus suis Obstetrices objurgat propter has præstigias & magicas impesturas: vide *Lemn. lib. 2. de occult. c.* 18. *Mizald. Cent. memorab.* §. 8.

Hollerius l. 1 *c.* 41. *& Knobloch. disput. anat.* 8. *de Involucr.* Velamen hoc maximam vim contra Colicam habere asserunt.

Tandem hic VASA UMBILICALIA examinanda, quæ nec ipsa suis destituuntur utilitatibus. Hæc dissecta Umbilicum constituunt, intra Uterum vero ad nutritionem & vitam fœtui faciunt: Horum vasorum longitudo non caret admiratione, licet enim in fœtu, dum magnitudine Muscæ cernitur, recta sit & brevis, vixque in fœtu unius mensis, digito longior, indies tamen usque producitur, ita ut in partu extensus umbilicus nostratis ulnæ dimidiæ longitudinem æquare possit: Interdum in ea laxitate ita se invertit, & contorquet fœtus, ut nodus in medio contrahatur, qui in fœtu atrophiæ & mortis causa esse solet propter commeatum alimenti interceptum: In tanta longitudine, ne umbilicus ruptioni esset obnoxius, nodis quibusdam ad robur distinctus est, non interceptus, ex quibus Obstetrices mulieris fœcunditatem agnoscunt. Sic enim *Riolan.* l. c. pag, 617. ex *Avicenn.* Cum mulier primum partum edidit, umbilicus infantis inspici debet, qui si in parte, qua ventri proximus est, rugas seu Nodos non habet, mulieri deinceps sterilitas portendenda: sin vero nodos ostendit, tot partus ac liberos matri promittit, quot numero nodi seu rugæ in eo deprehenduntur: alii addunt, si modico spatio inter se nodi distent, modica pariendi intervalla significare; si longius, longiore etiam temporis intervallo matrem concepturam atque parituram esse: præterea Nodi si ruffescant, masculos partus;

si candidiores sint, fœminas significant. Quæ omnia tamen ridicula putat Columbus, cum in extremo fœtu tot vel plures nodi appareant, quam in primo: Fides esto penes experientiam!

Quamprimum vero ex ergastulo Uteri emersit fœtus, resecantur vasa Umbilicalia, nodoque religantur, quod solerter & industrie faciendum, ne incommodum infanti conciliet: juxta cutem enim præcisa, mortem inferunt. Helena Soror Constantini, Juliani Cæsaris conjunx, cum in Galliis marem genuisset, infantem hoc perdidit dolo, quod Obstetrix corrupta mercede, mox natum præsecto plusquam convenerat umbilico, necavit, uti ex *Ammian. Marcell. refert. Riol. l. c.*

Insuper justa & legitima præsectio multum quoque facit ad vitæ commoditatem, quia penis & Uterus umbilici proportionem sequuntur. In fœminis brevior umbilicus Uterum ad conceptionem ineptum reddit; laxior, immoderatum coeundi desiderium adfert, quod de Pene etiam licet affirmare.

Sed usum videamus: Præcisum umbilicum nonnulli valere dicunt adversus Colicos dolores; ejusmodi remedium *Rhases. & Trallianus* commendarunt, eoque tanquam amuleto utendum, suadent.

Poppius. v. l. 1. *Th. med. p.* 371: ejus ℈. i. cum Vino generoso exhibet in eodem affectu. Si vir est, *inquit*, sit umbilicus puelli: si fœmina, femellæ.

Alexander Bened. literis prodidit, Umbilici infantis portionem sponte deciduam quoquomodo in cibo vel potu sumptam, restibilem fœcunditatem conciliare: In brachiis gestatum, conceptum inhibere.

Existimant alii particulam illam pulverisatam plurimum valere epileptico puero exhibitam.

Retulit mihi aliquando Jurisconsultus Megapolitanus, ibidem loci portionem illam umbilici deciduam recentem adhuc supra bacillum duci, ut cavi-

tas

tas conſpicua maneat, per quam poſtea conſpiciendos ſæpe infantes cogunt, quo ſic acutiorem videndi facultatem contrahant.

Poppius lib. 1. *Theſ. med. p.* 188. contra maculas puerorum, quas ex Utero prodeuntes ſecum ferunt, **Muttermahlen** dicit valere, ſi ſumatur umbilici decidua pars, eaque cum aqua vitiorum, **Feldwicken** deſtillata, miſceatur, & indies ter locus inungatur, & relinquatur ibidem, donec ſiccescat; tamdiu quoque id continuetur, quamdiu mater te geſtavit ſic affecta.

Nonnullæ matres magna ſuperſtitione Umbilicum delapſum curioſe aſſervant; exiſtimantque ſi in pulverem redactum viro juveni propinent, eum protinus amore captum iri; at O fabulas puериles! Allegoricam tamen & ſecretiorem interpretationem ſi iis adſcribas, forte ſuccedet. Si ſc. puellæ eo deveniunt familiaritatis, ut ſive palpandum viro Umbilicum ſuum ſive ſpectandum offerant, dubium nullum eſt, quin igniculum ii concepturi ſint, & facile deſcenſuri in placidum amorem, ut habet *Laurenb. in diſput. Anatom.*

Ad partum accelerandum ſequentem pulverem efficaciſſimum tradit *Weickard. theſ. Pharmac* p.396.

℞. Cineris Vaſorum Umbilicalium infantis ʒ. ii.
Sem. plantagin, petroſel. an. ʒ. i. ß.
Lavendul. ℈. iiii.
Piper long. galang. an. ʒ. i.
Cinamom. ʒ. ß. Fiat pulvis ſubtiliſſimus.
Hujus Pulveris. ℞. ℈. ii.
Confect. alcherm. tot idem
Trochiſcor. de myrrh. ʒ. ß,
Caſtor. ℈. i. Sumatur id cum aq. Sabinæ & artemiſ. æqualibus partibus.

CAP. IX.

DE URINA.

VRINA, teste *Galeno*, E. 52. f. 219. est serum humorum in Venis contentorum, quod tractrice vi Renum à massa sanguinea separatur, per Ureteres in Vesicam demittitur, & tandem à Natura excernitur: Secunda enim concoctio, quæ in corpore nostro peragitur, vulgo dicitur *Sanguificatio*, quæ duplicia suppeditat excrementa. 1. Bilem flavam, quæ partim in cysti sua colligitur, partim ad intestina stimuli gratia demandatur: 2. Serum, quod vel statim ab Emulgentibus tractum per Ureteres ad vesicam ablegatur; vel, quando totum corpus pervasit, tanquam sanguinis idoneum & perpetuum vehiculum, tandem regreditur, & beneficio Renum ad vesicam transit: Constat ergo Urina duplici materia, tam aquea, & potulenta, quam seroso sanguinis excremento: quod serum non simplex est, sed mixtum, continens insignes virtutes Salis ammoniaci ex nutrimento ingesto hausti, cujus ratione & insignes, infinitasque, ut jam dicetur, obtinet operationes.

Naturaliter hæc quidem per Vesicam egreditur, verum & alium quandoque Natura molitur viam: Sic notatum ad *Ant. Beniven.* puerum quendam ex ano evacuasse Urinam *medic. obs. c.* 7. ibidem quoque refert, se vidisse mulierem, cui illatum vulnus in coxam, cervicem vesicæ inciderit: ac subinde incuria Medici adeo conglutinatum occalluit, ut penitus iter Urinæ obstruxerit, sed ea nihilosecius carne paulatim erosa, coxa altera extrinsecus erupit: Inde, quoad vir ille vixit rite profluens, reddita est. Novit & ille alium, qui glande colis clausa natus paulo infra eam itinere patefacto urinam reddebat.

Amatus Lusitanus Cent. 1. *curat.* 23. refert exemplum cujusdam, cui quoque glans penis à nativitate non erat perforata, qui circa testes habuit foramen, per quod Urinam reddidit.

Beniven.

Beniven. l. c. 90. insignes & notatu dignas refert historias; Vidisse se, dicit, & puerum & puellam, cui meatus urinarius esset obstructus, & aliunde fluxerit Urina: alter quidem ex angusto admodum foramine, quod paululum infra glandem urina ipsa vi sua effecerat, emingebat, sed non absque ingenti ejulatu, & genitalis membri tumore; altera ex loco, qui est infra pectinem paululum supra vulvā urinam reddebat, nullis interim apparentibus signis & indiciis, unde ipsa naturaliter efferri debuerit.

Fernel. l. 6. Pathol. c. 13. cuidam ex Umbilico Urinam solutam scribit. *Fallotius de Vulner. c.* 12. per femur militem mingentem vidit: Vide *Schenck. l. 3. obs. med.* 338. *Marcell. Donat. s.* 4. p. 497.

USUS.

Plurimi lucro maxime inhiantes Urinæ inspectionem adeo extollunt, ut etiam omnia tum interna, tum externa corporis vitia, tanquam ex Tripode pronunciare haut erubescant: Verum, ut in certis illius casibus inspectio non rejicitur, sed, si inprimis aliæ concurrant circumstantiæ, suus ipsi merito relinquitur locus, ita abusus merito damnandus, quod & *Forestus*, *Fabritius Hildan.* & alii pluribus docent, exemplisque multis declarant: ad quos lectorem remitto.

Sunt, qui non tam ex Urina cruda, ejusque inspectione, quam ex destillata certiorem desumi posse docimasiam existimant.

Reusnerus in annotat. ad libell. Iodoci Willichii de Urinar. probat. p. 386. hæc habet; In probatione Urinarum à Spagyricis inter Neotericos, tres morborum principes, juxta tres corporis Urinæ partes, constituuntur; Nubes, Mercurialem principem indicat sc. animalem in Capite; Enæorema, Sulphureum sc. spiritualem, in media corporis parte; Hypostasis denique salsum sc. corporeum, qui inferiorem hominis aulam seu caulam sibi vendicat; Porro, ut principes hi morborum, illorumque extracta

arcana & discrimina recte dignoscantur; necesse est, ut accurata omnium elementorum fiat separatio & sequestratio; alias laterem lavabimus: accuratam autem, non superficiariam, aut confusam elementorum secretionem desideramus: qua non tantum unumquodque peculiari vase conservatur; verum etiam sic ad unguem examinatur, ut in separatione exactissime cognoscamus; quodnam Elementum alterum, non duntaxat quantitate & multitudine, sed etiam mensura & pondere excedat: Quo perfecto, prima fundamenta scientiæ fideliter jacta sunt; qualitas enim personæ, & genus principis morbi patet, num viz. sit Mercurialis, num Sulphureus, an vero Salsus. A separatione vapores ascendentes certam cucurbitæ partem occupant, situ respondentem parti corporis humani, in qua fomes morbi residet, speciemque & naturam affectus adeo dilucide repræsentant; ut cui elemento & principi malum sit ascribendum facile appareat. Pondus autem Urinæ totius, ad pondus Urinæ sani hominis dijudicandum; quod est unciarum octo, & drachmarum trium, vel quatuor. Idcirco, si hoc pondus excedat Urina, maximam Tartari copiam indicat; si præsertim hoc magna copia, post separationem conspiciatur. Unde præsagimus, Phlegmaticos capitis Catharros, è ventriculo oriundos, jam defluentes à nimia siccitate partium subjectarum in Tartarum coagulari: quo facto impeditur libera respiratio. Sanguificatio in hepate retardatur: vitalis in corpore spiritus labascit, gravesque morbos inde posse oriri, periculum est; ut Hemiplegia, Paralysis, Spasmus, dolores matricis, Lithiasis, Scabies, Scorbutus, sive Sal resolutus, aliaque similia mala Tartarea. Morbi Mercuriales ac Sulphurei citius agunt, ac vehementius urgent, quam Tartarei: cum enim in illis tenuiores ac acriores inveniantur vapores, quam in Sale resoluto, plurimi elevantur flatus, qui pro vario in Cucurbita vel capitello loco, & pro variis coloribus ac substantia varia varias affligi partes denotant: Hinc Vertigo, sibilus aurium, Phrenitis,

Paraphrosyne,

Paraphrosyne, Ophthalmia, Cephalalgia, Cardiaca, Lipothymia, Syncope.

Meliores sunt illi vapores, qui in alembico in aquam concrescunt; deteriores vero qui inter separandum crassiores subinde evadunt, propter terrestrem, & idcirco rebellem nimis materiam: unde maxima virium prostratio, & gravia animi deliquia: si fumi imprimis impetu quodam versus sinistram Cucurbitæ partem ferantur; Si qui vero supremam Capitelli regionem occupant, alicujus corrosionis participes sunt: unde Cerebri morbos acutos generant, memoriam turbant, intellectum debilitant, subitum calorem & æstum in toto corpore, maxime autem facie excitant, quem nos **die fliegende hitze** nuncupamus: exanthemata item illa producunt, quæ nobis sunt **die Finnen**: denique non raro apoplexia hominem è medio tollunt: Si tales vapores in medio fere cucurbitæ versus sinistrum latus moveantur, omnis generis morbos in matrice indicant; & periculosissimos, si in gyrum convolvantur; idem de similibus esto judicium.

Pluribus hanc Urinæ destillationem, & exinde proveniens judicium pertractat *Paracelſ. in Anatom. corporis vivi, quæ in Appendice Chyrurgiæ magnæ* reperitur, à *pag.* 58. *ad pag.* 70. quò avidum lectorem remitto

Hæc tamen omnia utut pulcherrimis depinguntur coloribus, minus tamen aliis doctoribus arridet Medicis, inter alios *Libavii* videamus judicium, qui in *Comment. alchym. p.* 2. *l.* 6. *p.* 192. hæc habet: Frivola & inanis est Urinæ destillatio & judicium, quod judicio Paracelsistæ cujusdam inepti quidam in admiratione habent. Quamquam enim in corpore humano quodlibet membrum suum habeat excrementum, idque possit permisceri Urinæ: nulla tamen est ratio, cur eo recurrat, unde venit, ne dum descriptionibus in vase obediat, ibique subsistat, uti tu Cor designasti & reliqua: Si tantopere servat locium familiaritatem membri sui, cur expulsum

est, tanquam alienum? cur Natura sibi constituit emunctoria, quibus segreget, quod est molestum? Nec objici possunt Essentiæ Urinales, quæ necessitudinem Veterem observent, nihil deponit Natura ex integro sui thesauro, nec quod ex corde prodiit, inveniet tam lyncæum, qui agnoscat de essentia cordis esse; Sed facessant stulta; fortuitum fuit, si quid inde divinatum, quin fraudulentum, cum etiam quodcunque indicaveris, imperiti ægrotantes in se agnoscunt, & nonnunquam res aliis judiciis patuit.

Veri artifices non aliam Urinæ resolutionem, non aliud judicium agnoscunt, quam quod in superioribus est expositum, servata proprietate singulari. Itaque si quid tale moliendum sit, cognita universa patientis, vel cujuscunque etiam sani sit Urina, dispositione, quantum fieri in præsens potest, primum integram, ut effluxit, censent, postea, ut refrigerata, & quiescens evasit. Ex sola parum patet de morbis Cerebri, pulmonum, veneno spirituali & similibus, sæpeque patientibus membris aliis, ut Oculo, auribus &c. coctionis instrumenta & sanguis bene habent; ita in febribus aliquando sunt sanæ, nec nonnunquam Natura expellit causas morbificas nullo facto morbo; & aliquando diversitate coctionis diversissimæ prodeunt, sicut & exercitatione varia. Igitur mingitur interdum ruffa, biliosa, à sano; cruda, alba, item à sano post meri, vinive potum paulo indulgentiorem &c. Sola si tunc est, incerta est; crebram si poscas, & diversis temporibus emissam, metus est, ne interim bona agendi occasio prætereat. Omnino itaque ejus constitutio cujus est, una est scienda, si velis ex ea aliquid ad medendum & non duntaxat ad Naturæ morem, cognoscere; Si patent necessaria ad bene agendum, nil urget judicium Chymicum; Interdum tamen misturæ, naturaque succorum in corpore existentium, sicut & dyscrasiæ tam latent, ut vix dignosci queant qualesnam sint, quid potius abundet, quid magis affligat, humorne peccet solus, an

etiam

etiam Intemperies sit, aut sola hæc affligat, quid obstructiones pariat, & cætera; Itaque etiam hanc operationem instituere possumus, & lotium suo tempore exceptum primum ad quantitatem & pondus revocare statim, cum adhuc calet naturaliter; postea per quietem sedimentum & refrigerationem procurare in quo tunc notanda erunt, quæ occurrent signa, & corpus totum iterum expendendum, ut constet, quidnam spirituum una fuerit, quamquam hoc soleat potius ex vasis intervallis, quam statera deprehendi; Si enim non tantus est Urinæ locus, ut prius, secessus spirituum factus est multus, paucus pro differentia intervalli; Ut autem scias qualisnam sit ille spiritus, matulæ statim impone alembicum, & sic una opera utrumque expedies; crassas partes postea per chartam mundam cola, & quod hæsit, quale sit iterum nota; facile autem agnosces pinguia, sanguinem, arenas, phlegma, pus, furfures, furfuraceas secretiones, pilosasve & reliqua. Si tamen interius quoque nosse satagis, prout erit copia, ita igni examinabis, vel ad Solem torrendo, distillando, sublimando, urendo, &c. quæ apparent, sensuum judicio circumspecto discernes: quod per chartam transiit iterum sine quiescere, & per se judica secundum differentias sensiles: deinde Cucurbitæ infunde, & destilla, usque ad medias, & amplius; destillatum per se æstima. Quod in vase remansit, item considera primum, postea sine refrigescere, & vide, num quod sedimentum sit, aut pinguedo, vel nebula, vel Corona concreta in vase veluti tophacea: talis enim fieri solet, si succi corpulenti insunt: attende etiam qualis sit & reliqua: hinc injice culmos vel bacillos, & detine loco tepido, ut Sal accrescat: quo facto humorem residuum iterum cola, & vide, quidnam in vitro adhæreat: Solent enim plerumq; vel arenulæ, vel crystalli parvi consistere, nonnunquam & lentor quidam: colatum quod est, novo vitro coque ad spissum usq; et quod sines paulatim per se coagulari, & postea variis modis, naturam ejus explorabis: Inde vix

fieri potest, quin plura deprehendas longe accuratius, quam si inspicias tantum; Videbis hic nos non raro decipi Tincturis spiritualibus, & judicare biliosam, quæ non est.

Alii non admodum dissimilem alium, & ut existimant feliciorem & magis expeditum sequentem ponunt modum.

Urinam hominis morbosi debito tempore collectam, & cucurbita convenienti exceptam, destilla ex arena ad consistentiam instar mellis in fundo restitantem; ejus evaporatæ cape particulam quandam nucis avellanæ quantitatem æquantem, ac eandem super laminam cupream ignitam modice in medio depressam in loco aliquo à Ventis & aliis turbis libero, saltem lucido, pone, diligentissime observaturus, tum colores flammæ ardentis, tum fumum, tum residuas in lamina fæces, & num unum, aut alterutrum, aut nullum præstet animadvertendum deque his sincere judicandum.

Quod si igitur primo aliquantulum ardentis Urinæ fuerit fumus cæruleus, designat dolores capitis, & gravedines ejus vehementes à vaporibus ex inferioribus partibus ad Cerebrum exsurgentibus, ibidemque postea condensatis, & ad subjacentes partes cadentibus; unde fiunt ophthalmia, surditas, uvulæ casus, tonsillarum inflammationes, angina, tussis, asthma, pleuritis, peripneumonia.

Si flamma fuerit instar Mercurii vivi designat inflammationem Hepatis vel Renum, aliosque calores præternaturales, totum corpus infestantes, tales sunt, febres, tum Ventriculi, tum Hepatis & Renum.

Si neque fumus, neque flamma conspicitur sed Urina sensim evaporando post se fæces albicantes reliquerit, morbus haut magnus & difficilis judicatur: imo de salute ipsius patientis pronunciationem certam & firmam pollicentur.

Si simul ardendo fumum emittit, ac insuper fæces albicantes relinquit, designat quidem morbum duplicatum, & cum multa symptomatum syndrome conjunctum.

conjunctum, quia vero subsidentia albicans residua fuerit, de felici sanitatis rediturae proventu non dubitandum; balsamum enim vitae nondum plane corruptioni obnoxium esse probat, nihilominus his signis denotantur febres acutae, seu Causodes, & malignae pestis intoxicationes, aliaque gravia incommoda.

Si neque flamma, neque fumus, neque ullae faeces, aut admodum nigrae & lividae in lamina cuprea relictae fuerint, certissimum mortis vel imminentis, vel cito superventurae testimonium profert.

Sunt quoque, qui per hanc probationem post ejusmodi morborum designationem, non aliam curam adhibent, quam, quae ex ipsius Urinae spiritu, Oleo, & Sale fixo seorsim in medicamentosas vires, alioqui admodum felici exhibitione desumitur.

Verum hae ipsae curae, quum satis exquisitis causarum momentis haut circumseptae sint, saltem analogiae quid fidei faciat, nec subsint demonstrata exempla, merito ut incertae relinquendae sunt.

Alia adhuc praeparatio & separatio Urinae ad judicia facienda reperitur apud *Libav. Syntagmat. arcan. Chym. l. 7. p. 353.* quam & haut fundamento carere existimat; In Urinam aegroti guttam aq. alcali immittit, & sic statim fieri dicit Elementorum separationem; ex *praedominante* judicabitur de aegritudine; *Aqua alcali* sic paratur.

In fusum stannum projiciantur Argenti vivi calefacti, purgatique ℥. iv. beneque misceantur, ut fiat amalgama; hoc lava prius aceto distillato, postea aqua fervente; exsiccato adde lapidis arenosi (intelligitur Soda, vel alcali, unde ei nomen aq. alcali) lib. ii. include bene armatae retortae, & distilla per Cineres, cum videris liquorem prodire, continua ignem continenter, donec totus extillaverit; prodeunt circiter ℥. iv. quas custodi (Hanc quoque dicit esse mirificam in omni febre, unde *Febrifugum* mirabile nominatur; sique unicam guttam in aquam stillacitiam infuderis, statim separatur, & discedunt.

discedunt fæces ad fundum; clarum defunditur; & præbetur ad febres; debet autem aquæ cyathus unus esse: datur tribus horis ante pastum; prodesse etiam scribit anhelosis cum Syrupo pectorali; sermonem loqui non valentibus restituere, fœtumque mortuum expellere.

Hanc aquæ alcali præparationem, explicationemque Libavii frustraneam esse opinatur *Mylius lib. 7. Basil. Chymic. p. 37.* sic enim ille.

Aquæ illius descriptio à Penoto allata, non est syncera: Libavius eam explicationem reddere voluit, sed frustra: Primo enim pro lapide arenoso substituit Sodam, sc. salem alcali, deceptus titulo eo, quem Penotus dixit, aquam nempe istam vocari aquam alcali secretam: deinde in *Tom. 2. p. 144.* Dubitat de Sale alcali, & priorem Penoti operationem ad aliam accommodat, quæ est ex Hydrargyro & Mercur. sublimato, sed æque Sophistice: tantum nempe prævalet opinio veræ experientiæ, à qua qui destituuntur, sola contemplatione cum stolido supercilio sibi aliisque applaudentes, non possunt non gravissimorum errorum machinatrices esse; alioquin Mercur. crudus cum lapide arenoso i. e. arena pura & sicca, ita ut hæc illi supereemineat ad palmæ integræ altitudinem, ex cucurbita humili destillatus, in aquam limpidam transit, quæ aliquoties per matracium vel phialam rectificata, flavescit tandem, ac instar Nepetæ olet: Utrum vero aqua hæc præstet illi, quæ à Penoto recensetur, dubitamus.

Deinde Urina ad aliarum quoque rerum judicia expetitur.

I. *Ad cognoscendum Utrum conceptio esset ratione maris vel fœminæ, & Uter horum causa sit sterilis matrimonii?*

Petrus Bayrus p. 426, & ex eo *Fernel. l. 6. Pathol.* p. 610, nec non *Conradus Kunrad. p. 1. medull. destillat.* p. 102 accipe, inquiunt, duo vasa fictilia signata, ut unum ab altero dignosci queat; utrique impone hordeum: Vir calide mingat in unum, mulier in alterum, dimittantur in loco frigido per dies duodecim;

cium; culpa in eum referenda, cujus hordeum non germinaverit.

Aut sumatur surfur frumenti, & similiter in duo vasa fictilia inde, virque & mulier in distincta illa mingat, hæc probe munita, novem aut decem dierum spatio immota in loco aliquo stent, tempore hoc exacto, in cujus vasculo surfur fœtidum, vermesque repetientur, is sterilitatis causam intra se fovet; si vero in neutro vase tale quid observatur, neuter quoque erit in causa, & poterunt iis idoneis mediis & remediis suppetiæ ferri.

Aut injiciatur Lens in unius cujusque Urina, & cujus efflorescit, ille culpa caret.

Aut etiam, si explorare volueris, utrum mulier ad concipiendum sit idonea, tunc super malvam sylvestrem Urinam ejus funde; si illa tertio die arida fuerit, omnino minus idoneam illam habeto.

2. *An mulier gravida sit?*

Weckerus de secret. p. 176. Si experiri voles id, fac, ut lotium reddat in vas æneum, & noctem unam acum ferream & perpolitam in illud demerge; si prægnans erit, maculis rubris distinguetur; sin minus, nigrescet, vel ferruginea aut æruginosa evadet.

3. *Utrum conceperit masculum vel fæminam.*

Petrus Bayr. p. 435. Fac, inquit, duas in terra foveas, in unam pone triticum, in aliam hordeum; in utramque immitte de Urina prægnantis, cooperiendo cum terra: si primo germinaverit Triticum, pariet filium: si vero hordeum, fæmellam concepit.

4. *Utrum Elephantiasi quis correptus sit?*

Wecker pag. 129. Elephantiacos sic deprehendes ex lotio, cui plumbi usti cineres inspersi sunt, nam si subsidunt, nullum est contagium: sin fluitant, & in Urinæ superficie hærent, certissimæ labis signum ostendunt.

5. *Utrum quis intoxicatus sit?*

Conrad. Kunrad. p. 1. *medull. destillat. p.* 104. Coque, inquit, in olla nova ad ignem Urinam hominis, quæ

quæ si ebullierit, liber erit à veneficio; sin minus, eo correptus est.

6. *An quis Peste correptus morietur?*

Urinam infecti in matulam mundam infunde, in hanc guttulam lactis muliebris puellum lactantis injice; si lac recta supernatat, æger sanitatem pristinam statim recuperat: sin autem medium matulæ occupat locum, non quidem statim valetudini restituitur sed aliquo elapso tempore: si denique ad fundum descendit; vitam quoque in fundo esse, & mortem pestifero imminere portendit. *Reusner. l. c. p.* 339. *Conrad. medull. destill. pag.* 1. *pag.* 130.

7. *An patiens in morbo succumbet?*

Weckerus ex Mizald. p. 128. inquit: Tradunt urticam viridem horis 24. in lotio decumbentis maceratam, ejus statum præsagire; Salutem quidem, si eadem viridis ibidem perstet: sin minus, mortem vel ingens periculum: Aliam probationem describit. *Conrad. Kunr. l. c. Utrum ægrotus illo mense, quo decumbit, à morbi præsentis violentia superabitur & morietur*: Immitte Urinam patientis in vas vitreum, idque agita donec urina spumam concipiat, deinde auriscalpio Osseo ex auribus tuis Cerumen extrahe, & spumæ illi ad Urinam usque impone: si spuma illa statim separabitur, & evanescet, ægrotus adhuc illo mense superstes permanebit: si vero spuma illa integra perseverat, morietur illo mense: hocque signum sæpissime certum & experientia fuit confirmatum.

8. *Utrum quis interna, sed occulta Hepatis & Pulmonum corruptione laboret?*

Cond. l. c. p. 95. Si quis, inquit, cibum aversatur, & malum illud pertimescit, optime explorabit: si enim Urina ejus in patinam furfure triticeo repletam calide immittatur, eaque agitetur & misceatur, perque noctem in loco aliquo relinquatur, tunc si vitio aliquo dictarum partium laboret, vermibus repletum conspicies furfur.

Tantum de docimasia & Prognosi ex Urina desumenda;

sumenda: Sequitur jam, qua ratione Urinæ adversus infinitos affectus usurpari possit.

Utimur vero vel liquore ipsius, vel sedimento; quod Ludum dicitur.

Liquor, seu Urina sine sedimento assumitur vel Cruda vel præparata.

CRUDAM vel Solam, vel cum aliis mixtam adhibemus.

SOLA URINA valet.

1. *In Tineis capitis.*

Si ea caput patientis per dies novem abluatur: Deinde vero ℞. fimum columbinum, & ponatur in ollam, & cum aceto forti bulliat ad spissitudinem, & super caput emplastretur per duos vel tres dies; vel etiam, ut habet *Mullerus in mirac. Chymic. p.* 106. ℞. Ol. laurin. ℥. i. lardi veter. ℥. vi. misce pro Unguento, & unge locum alteratum ter in septimana: Imo & furfures capitis plurimum abstergit, eosdemque funditus removet, si cum Nitro imprimis misceatur.

2. *In Epilepsia.*

Stockerus pr. med. p. 161 tradit in Epilepsia puerorum per aliquot menses exhibendum esse lambendo Syr. de Cichor. cum Rhab: quia à tota substantia curat hunc morbum, & simul præservat: postquam vero ambulare incipiunt, Syrupum illum propinandum docet cum propria Urina, cum mire commendetur.

3. *In Oculorum suffusione.*

Crato consil. Scholtz. 184. in ejusmodi affectu Urinam pueri impolluti commendat, rationemque hanc addit, quia humanum fel in se contineat: omnium autem animalium fel valet in oculorum affectibus. Rectius tamen Salinæ naturæ vis illa adscribi potest; sic enim & Tutiam, Sachar. candi, Sal. Saturni, & alia similia in simili affectu præscribimus.

4. *In Lachrymarum fluxu.*

Stockerus l. c. p. 45. dicit; Lavare oculos intus & extra cum Urina propria, lachrymas siccat, & pruriginem tollit.

5. In

NB. 5. *In doloribus aurium.*

" Sive hi sint ab ulcere, sive à vermibus, non sine " successu ii tolluntur, si Urina puerili calens in au- " res immittatur, nam salina sua qualitate humi- " ditates absumit, vermes enecat, & sic sublata " causa effectus evanescit; ob hanc abstergendi vim " à multis quoque commendatur in ulceribus auri- " um *Conrad. Kunr pag. 95. Weickard. Thesaur.* " *Pharmac. pag.* 101. nec non adversus vermes, im- " primis si Urina hominis senioris calida immitta- " tur; alii tamen malunt cæpam & hyssop. cum U- " rina contundere, expressumque succum auribus " instillare.

" 6. *In deperdito auditu.*

" *Munderer. in medicin. militar. pag.* 189. Si quis, " inquit, tempore Pestis vitio hoc laborat, Urina " propria calida aures lavet, interim quoque fide- " liter easdem abstergat, nam nimia humiditas no- " cet auribus.

7. *Contra dentium sordes.*

Has enim Urinam optime mundare & abstergere ex *Strabon. l.* 3. docet *Reusner. p.* 309. aliud vero dentifricium componitur in *Medulla destillat. p.* 96. si scil. farina Orobi permisceatur cum Urina, ut fiat instar linimenti, quo dentes fricandi.

8. *Ad tremorem membrorum.*

Forest. l. 8. *observat.* 5. *in schol.* & *Rondeletius de medicam. extern. p.* 1127. Urinam propriam egregie in illo casu conferre docet, si sæpius ea membra tremula laventur; habetur enim pro experimento indubitato, quacunque etiam de causa tremor oriatur; sive ex venere, vel vini potatione, vel argento vivo, vel aliunde; alii hic Urinam pueri præferunt

9. *In Obstructionibus.*

Mundrer. l. c. p. 124. scribit, Urinam propriam jejuno Ventriculo haustam, ab humorum putredine præservare, obstructionesque Hepatis & Lienis reserare. Et hac de causa commendatur quoque.

10. *In Hydrope.*

Mizaldus Cent. 1. §. 12. ex Hermete profert. Si hydropicus homo, vel Ictericus propriam Urinam jejunus per aliquot dies biberit, valde juvabitur; quod & affirmat *Conrad. in medull. destillat. part.* 1. *pag.* 97. ubi suadet in initio Hydropis vel propriam, vel etiam pueri impubis Urinam esse assumendam, haustumque illum per aliquot dies continuandum, miris enim modis pellere Urinam scribit; hisce & subscribit *Plater. tract.* 3. *p.* 287. Maxime vero hæc omnia confirmat historia *Fabrit. Hildan.* quam *Cent.* 3. *observ. Chyrurg.* 51. nobis exhibuit. Quidam, inquit ex domesticis nobilis cujusdam viri, natione Sabaudus, septuagenarius, sed robustissimus, morbisque raro obnoxius An. 1597. Tertiana febre mirum in modum arefactus & extenuatus fuerat, ita ut post menses sex ab eadem curatus in asciten inciderit; quocirca corpore prius purgato ex consilio prædicti Nobilis, singulis matutinis in aurora, unum vel alterum haustum propriæ Urinæ ebibebat. Id cum spatio quatuor mensium continuasset, & interim hydragogis aliquoties purgatus fuisset, quin etiam optimam victus rationem observasset, tumor Ventris & tibiarum paulatim subsedit, tandemque plenissime convaluit.

11. *In Icteritia.*

Non postremo loco ponitur haustus Urinæ propriæ singulis diebus mane assumptus, & per aliquot dies continuatus. *Tansa in Pharmac. itiner. pag.* 187. *Medull. pag* 98. Et *Reusnerus pag.* 319. sequens externum habet. Fimum equinum cum Urina ægri sic misce, ut pultis referat consistentiam: hæc linteolo excipe, & in Camino suspende, ut fumo semper sint exposita. Retulit mihi aliquando D. Braun Medicus & Professor Marpurgensis, quendam Ictericum nullis medicamentis potuisse restitui, postmodum suasu alterius propriam Urinam vesica suilla excepisse, & hanc in furno fumo exposuisse; seque observasse ad exsiccationem Urinæ in vesica, ipsam quoque Icteritiam evanuisse.

Non-

Nonnulli Urinam ægri cum raphano contuso colant, & de colatura Icterico mane & vesperi exhibent.

Fernelius l. 2. de abditis c. 17. refert, quendam profiteri, se Ictericum omnem sanare si laborantis Urina mane in ollam emicta igni sensim effervescat, dum tota in vapore exhaletur diebus novem continuis.

12. *In Urinæ retentione;*

Inprimis post casum Urinam puellæ calidam potandam exhibent: sic & *Plater. tract.* 3. p. 287. mictionem urinæ potum impellendo accelerare docet.

13. *Ad ciendam alvum.*

Plinius l. 28. *c.* 8. refert, Barbaros urina quinque annis inveterata magno plausu usos esse; sed barbarum hoc est remedium.

14. *In procidentia Uteri.*

Hippocrat. l. 2. *de morb. mulier. p.* 729. somentum ex Veteri urina adhibitum non aversatur.

15. *In suffocatione.*

Rodericus à Castro l. 2. *de morbis mulier. p.* 161. inquit; Quidam de munditie parum solliciti matulam cum lotio veteri naribus admovent.

16. *Adversus lumbricos.*

Plater. tom. 3. p. 978. Urinam propriam haustam commendat.

17. *Contra impotentiam.*

Mizald. cent. 7. *memor.* §. 2. *Wecker. l.* 5. *de secret. natur.* p. 254. Si per nuptialem annulum sponsus mingat, fascino & Veneris impotentia solvetur, qua à maleficis ligatus fuit.

18. *In rhagadibus.*

Weickard. thesaur. Pharmac. p. 273. Urina propria manus sæpe abluisse scissas in multis profuisse testatur.

19. *In scabie manuum & pruritu totius corporis.*

Et sic quoque eadem singulis diebus mane & vesperi loca scabie infecta lavari possunt.

20. *Contra ficus ani.*

Si Urina patientis mista cum succo chelidonii

minoris expresso, sæpius ficus laventur, paulatim eæ contrahuntur, & dolore sopito reficcantur ex prælectionibus Botanic. Cl. Domini D. Joannis Bacmeisteri Medici & Professoris Rostoch. celeberrimi, præceptoris olim multum honorandi; jam in ἁγίοις.

21. *In Podagra.*

Præservationis ergo tutissimum est mundare sæpe pedes cum Urina propria *Wiekard.* p. 499. imo sunt, qui fateantur, se usos maximo cum successu; exemplo fullonum, quos, quia in Urinis pedibus versantur, podagra non sollicitari conspiciebant. Imo si quis ob iter dolorem quendam tibiarum aut lumborum contraxit, totum crus lavet vesperi, cum se confert cubitum; sic sequenti die expeditius iter continuare poterit; Medicinam hanc studiosis, qui dum Minervæ lituos in peregrinis oris sequuntur, sæpe loco equorum pedibus propriis utuntur, commendat *Reusner.* p. 332.

22. *In Peste,*

Plurimi hoc in casu Urinam propriam hauriunt; teste *Weickard.* p. 478. *Wecker. de secret. pag.* 122. & confirmat usum *Munderer. tract. de Pestilent.* p. 397. inquiens, Nonnulli ex plebe Urinam bibunt propriam, hoc sese pharmaco adversus pestifera luis contagia munientes, quod quidem medicamenti genus tametsi sordidum sit, non improbamus: Urina enim omnis salsa cum sit, corpora à putredine conservat, meatus omnes aperit, & abstergendo noxam eluit, quæ etiam aliis in morbis ab obstructione viscerum natis, bibita, plurimum quandoque prodest.

Quin & ego plurimos novi, qui in Peste illa decennali, quæ Ducatum Borussiæ ab Anno 1620 ad annum 1630. continuo afflixit, Urinam propriam sine omni molestia mane jejuno stomacho hauserunt, & à contagio immunes permanserunt.

23. *In febribus intermittentibus;* nec non

24. *In Incipiente Lue Venerea* iisdem de causis haustus

haustus ejus continuatus à multis commendatur.

25. *In Cancro.*

Hujus Curationem à lotione cum Urina inchoat *Reusner. l. c. p.* 324. dum inquit: Lavetur primo omnium Cancer urina ægri, in qua ebullierit Vitriolum Romanum, & inspergatur sequens pulvis. Busonem terrestrem unum & cancros duos combure in olla nova in pulverem. Hoc facto, parati sint hi Trochisci, qui mirabiliter Cancros absumunt, & polypos narium.

℞. Calcis vivæ, arsenic, citrin. an. ℥. ii.
Vitriol ærugin. alumin. an. ℥. i.
Gallar. acaciæ, balaust. an. ℥, ß. Trita in mortario æreo exposito igni, aut Solis ardori, inspergantur aceto acerrimo; id subinde repetatur, novumque affundatur. Quinto die Trochisci formentur, siccentur in umbra, reponantur loco frigido & sicco, qualis est patens Aquilonibus: Tempore usus diluantur Vino, atque in linimentis adhibeantur.

26. *In ulceribus.*

Hæc enim Urina persanari dicit *Reusner. p.* 306. Ulcera digitorum, inquit, pedis maxime, quæ ex illisione atque offensione essent inflicta, sæpenumero, ubi nim. Phlegmone carerent, & ipse curavi: eaque in servis & hominibus rusticis, quos iter ingredi absque medicis erat necesse: siquidem linimento ulceri imposito, ac insuper linteo supervoluto ac ligato, quoties meiendi incesseret cupiditas, in digitum ferri urinam præcepi: nec ante absolvere, quam bene esset curatus. Nam & si quem alium ruri sine medico agentem, Urinam ulceribus perfundentem audissem, non vetui: ubi scil. in partibus Thorace inferioribus usque ad imos pedes ulcus constitisset: sed quidem ulcera aut capitis, aut faciei urina perfundi sinere aversabar.

27. *In vulneribus.*

Vulnera carnosa feliciter ea curari testis est *Paracels. part.* 1. *Chirurg. magn. tr.* 2. *c.* 5. Et observavi, quod Anno 1628. Præfectus quidam Culinæ Sereniss.

reniss. Electoris Brandeb, ob plurima furta pessime commissa carceri inclusus, mortemque ignominiosam veritus, cultello vitam sibi finire volens, vulnus in Thorace sibi inflixerit, idque Urina propria consolidaverit: hic vero sanatus laqueo in patibulo vitam finivit.

28. *In contusione.*

Locum contusum vulgares nonnulli Urina propria linteo, vel chartula cærulea excepta feliciter fovent. *Weickard. p.* 530.

29. *Ad Sustentationem virium.*

Hac enim sola per septem usque dies quendam sustentatum fuisse sequens refert historia. An 1552 ad Nonas Februarii quidam senex sexagenarius, dum in colle D. Sebastiani in villa Ludovici Dheiræi puteum foderet altum pedes 40. egesta terra desuper irruenti ad profunditatem triginta quinque pedum oppressus est fossor vivus, , qui incumbenti periculo, quod forte præsens habuit, tabulatum opponit: sub quo reclinatus, & à cadenti mole protectus, aeris & spiritus aliquantum retinuit: quo septem dies noctesque vixit, sine cibo & somno sola URINA epota stomachum roborans & omnis doloris expers, atque adeo mœstitiæ. Quin etiam spei plenus (quam in solum Deum collocaverat) identidem auxilium sibi salvo inclamans, sed à nemine auditus, cum tamen ipse superorum motus, strepitus & verba audiret, horasque sonantes numeraret: Post septimum deinde diem, cum ipsi jam conclamato pararetur feretrum: effossusque esset magna ex parte puteus, repente audita est vox ejus de profundis clamantis; quam primum secutus est pavor, ac si spiritus exauditus esset subterraneus, mox clamore perseverante, injecta spes, ac accelerata effossio, donec vivus & valens hausto prius vini calice, per funem evectus est, viribus adeo integris, ut ad se tollendum, neque se ligari passus sit, neque aliena ope uti voluerit: sensu vero adeo sano, ut etiam jocabundus, crumenaque prompta & pecunia numerata, diceret, se cum benignis hos-

pitibus

pitibus diversatum: apud quos ne teruncium septem dies impendisset; Et mox ad opus est reversus superstes adhuc, quum hæc scriberem: *Schenck. lib. 3. observat. medic. 41.* Historiam vero hanc *Bartholom. Anul. in picta Poesi* circa finem seqq. descripsit.

Vivus humum subiit, qui foderat ante sepulchrum
Ipse sibi, ingenti mole superposita.
Vivus & ad manes descendit: ut Amphiaracis
Hicque horas Centum, & septuaginta fuit;
Horas, quas potuit tantum numerare, dies non;
Nullum namque vident infera regna diem.
Hebdomadem duravit, agens tellure sub alta;
Lucis, somni expers, aeris atque cibi.
Ergo quid interea fecit? bibit: & bibit undam,
Quæ resluebat eò, fluxerat unde prius.
At postquam superis jam lux octava refulsit:
Ac egesta cavo chasmate terra fuit:
Crediderant quem pridem homines periisse: repente
Alter ut Aloides ad superos rediit.
Viribus integris, sensu & sermone valenti,
Sanus ad extremos vixit & inde dies.
Quid mirum, infernis potuit si excedere regnis?
Ut jubet infera lex: ederat ore nihil.
Quam nisi dicta esset violasse Proserpina legem,
Ad superos salva lege reversa foret.
Porro, ne quis & hoc fictum putet esse; ego vidi
Scriptor; quid visu certius esse potest?

CRUDA aliis permixta, usurpatur.

1. *Ad dealbandas cicatrices.*

Mylius l. 6. Basil. Chym. p. 888. hoc describit;

℞. Rad. Ireos. Cucumer. agrest. an. lib. iii,
alth. lilior. an. lib. ii.
Racemorum maturorum lib. ß.
Dictamn. ℥. iii.
H. Fabar. parietar. an. M. i.
Fl. nenuphar. malv. an. P. i.

Panis

Panis hordei lib. i. macerentur in Vino albo, vel sero caprino, & fiat l. a. destillatio; adde

Raphan. ℥. ß.
Sem fr. 4. an. ʒ. i.
Urinæ puellæ lib. ß. Insolentur & serventur usui.

2. *Contra pilorum productionem:*

Si cum farina fabarum misceatur Urina impedit pilorum proventum. *Paracelsus in manual. p.* 52.

3. *In suffusione Oculorum.*

Tanquam expertissimum & sæpe probatum remedium valet, si cum Urina pueri sani Sal armoniacus sublimatus misceatur, & aqua colctur; eaque oculi sæpius laventur.

4. *Pro confortatione visus.*

Commendatur ad confortandum visum, si baccæ lauri pulverisatæ, & in pollinem redactæ cum Urina pueri misceantur, & parum pulveris gummi arabici addatur, inque æneo vase ad usum servetur, quo oculi sunt inungendi; *Holler. pag.* 143.

Capivacc. in Consil. Scholtz. 58. parari dicit medicamentum è succo fœniculi & allii, quod confert ad oculorum affectum, si cum Urina pueri impolluti administretur.

Ad pustulas & saniem oculorum.

Reusner. p. 317. ℞. Ova tria, & coque in tantam duritiem cum aceto, ut testæ semoveri apte possint: hinc albumen extrahendum: cui addatur Urinæ pueri puri & masculi ℥. i. misceantur, & colentur cum expressione per pannum; servetur expressum in Vitro, de quo ter in die aliquid immittatur Oculis.

6. *In casu Uvulæ.*

Ut humiditas Uvulæ absumatur, commendatur in *Medull. destillat. p.* 1. *pag.* 69. gargarismus ex Urina, cui parum Croci pulverisati sit immixtum; sic quoque in Angina non parum Utilitatis Urina exhibet.

7. In

7. *In spleneticis passionibus.*

Ubi imprimis insignes adsunt dolores. Collige Urinam patientis q. plac. adde cineres foci, & misce, ut fiat instar linimenti, quo sæpissime locus affectus inungendus: vel etiam linteolum eo madidum & calidum imponatur, ut per horam ibidem permaneat, sæpiusque repetatur.

8. *In Paralysi.*

Zuingerus in consil. Scholtzianis 51. Urinam pueri commendat, si cum ea pars affecta prius, quam sese ad sudorem componat, brachium nempe & pes linteo aspero fricetur madefacto Urina puerorum, in qua Sal ustulatum fuerit solutum, ita ut in unam mensuram Urinæ manipulus unus Salis injiciatur.

Rondelet. pag. 133. seq. in Paralysi. parat. linim. ℞. Ol. Castor. ℥. iv. Ol. rutæ ℥. ii. Ceræ q. s. Fiat linim. tempore inunctionis adde Urinæ pueri parum.

9. *In Erysipelate.*

Haut vulgarem sequentem dicunt medicinam. Flores Sambuci q. pl. coque in decenti quantitate lactis vaccini ad medias: colaturam in duas divide partes: altera pro potu matutino utere, ut, si fieri posset, sudor subsequatur; alteram vero partem lactis vicissim in Ollam infunde, & calefac, inque eo smegma aliquod optimæ notæ dissolve, adde quoque Urinam propriam, quam jejunus emisisti, permisce hæc omnia, ita, ut nullum appareat Smegma: hac mixtura linteolum imbue, & supra locum Erysipelate affectum pone; extrahit miris modis calorem, tumorem discutit, ægrotumque pristinæ restituit sanitati.

10. *In Epilepsia puerorum.*

Inprimis si orta sit è lactis concretione in Ventriculo commendat *Cl. Senn. l.* 1. *prax. pag.* 651. seq. ℞. Fol. Ulmi p. iiii. Coque in Urina pueri, adde butyri recentis ℥. ii. Fiat Cataplasma, quod applicetur Ventriculi regioni.

Vel. ℞. Fol. malv. absinth. ulmi. an. P. i. coq; in

in Urina pueri, cum butyri ℥. ii. addito pauco fermento & Ol. Nardino. Fiat Cataplasma applicandum ventriculi regioni.

11. *In mensium defectu mulierum.*

Accipe Urinam pueri, & cum allio contuso, aut inciso misce, & coque in vase tecto ad medias: exinde vapores Utero debitis modis admittantur; vel aliis modis iidem excipiantur.

12. *In podagricis doloribus.*

Commendatur, si fœnumgræcum in Urina hominis coquatur ad pultis consistentiam, cui & parum olei rosat. aut papav. albi addi potest; quod loco affecto applicetur, & sæpius renovetur: Et *Plater. tr. de dolor p.* 751. sequens describit unguentum.

℞. Ol. semin. lini recent.
Sambucin. lumbricor. an. ℥. ß.
Croci. gr. iii. Camphor. g. ii. misce; inungantur partes, involvantur linteo madefacto in Urina pueri. Et *pag.* 746. inquit. In Urina calx viva extinguatur, & cum ea per residentiam aut colaturam depurata, locus dolens foveatur.

13. Qua ratione Moschus ea adulteretur notat *Castellan. lib. de Confect. aleb. c.* 11. nam à re fœtente moschi vigor augeri potest.

URINA PRÆPARATA.

Fit illa præparatio vel simplici & rudiori modo: vel artificioso magis & spagyrico.

Ad simplicem Urinæ præparationem referuntur, tum prædicta, & jamjam enumerata nonnulla, tum mox enumeranda medicamenta.

Ad varios vero & diversos affectus Urina cum aliis remediis miscetur & præparatur.

1. *In Oculorum affectibus.*

Extollitur hic sequens Aqua Ophthalmica, quam *Holler. l. de intern. morb. p.* 133. describit, quaque cæco per novennium visum restituisse testatur.

℞. Succi apii, fœnicul. Verbē.
Chamædr. pimpinell. caryophillat.

Salv. Chelidon. rut. centumnod. morsus gallin. farinæ volatil. an. j. ℥. Piper. crassiuscule triti. Nucis moschat. Lign. aloes an. ℥. iii. Omnia immergantur in Urina pueri incorrupti, & sexta parte Vini Malvatic. bulliant brevi tempore, tum exprime, & percola, repone in vase vitreo bene obturato, hora somni singulas guttulas singulis oculis instilla. Hanc totidem verbis describit *Mullerus in miracul. Chymic.* & eam valere scribit, ad conservationem visus & oculorum, & ad purgationem omnium macularum.

2. *In lactis copia tollenda.*

Sume folia apii palustris, & cum foliis buxi cocta in Urina & aceto, apponantur mammillæ loco cataplasmatis.

3. *In Cruris affectu.*

Ubi inprimis unum longe majus altero conspicitur. Ejusmodi curationem consignatam reliquit nobis *Plater. l. 3. observ. p. 627.*

Quidam lanius vir robustus crus unum triplo majus altero crure sano habebat: idque licet multis prius usus esset remediis, non decrescebat, sed magis adhuc augebatur: quod inspiciens, cum viderem, impressam non remanere foveam, carnositatem potius quandam, quam ex petuita aut flatibus distentionem esse judicavi, erat autem tumor indolens, etsi nonnihil juberet, atque licet diuturnum jam esset malum, tamen ut temperanter viveret, admonui: Purgavi illum pill. coch. ut bis sudaret in septimana in Stupha imperavi: biberetque hora una ante illius ingressum, Guajaci decoctum: deinde crus illinere præcepi Aqua vitæ. in qua infusa essent Salvia & Thymus. Tandem jussi fascia involvere crus eo modo, sicuti in consilio pro Oedematoso superius explicatum, & pedem immergere in sequens lixivium.

℞. Ciner. quere. & ossium conbustorum q. s. transcoletur Urina pueri, & aqua fabrorum ferrata, & parum Vini ad mensur. iii. quibus adde Salis P. ii. Alumin. Sulphur. viv. an. ℥. ß. baccar. laur. ℥. i.

℥. i. utatur: cum continuaret hæc, & fasciam indies gestaret, cœpit sensim subsidere crus, fuitque liberatus.

4. *In Consumptione corporis desperata.*

Ubi scil. alia medicamenta nil proficere valent sequentem curam Magicam notat. *Hartmann. in prax. medic.*

℞. Ovum recens, coque in Urina patientis in cellula nova, ut urina Ovum plane contegat, ebulliendo, donec Ovum indurescat, quod ubi factum fuerit, remove ollulam ab igne, & Ovum coctum hinc inde foraminulis perfora ligneolo acuto, ut foraminula pertingant ad vitellum: postea idem Ovum perforatum in eadem Urina reliqua coque, semper vertendo Ovum, donec Urina plane consumpta fuerit: postea Ovum sic paratum sepeli in acervo formicarum: quando itaque Ovum à formicis absumptum & exesum fuerit, mirabili sympathia consumptio corporis desinit, & nutricatio sequitur pristina & elegans. Valet & hæc cura in febribus,

5. *In Febribus.*

Similem fere Magicam curationem habet *Weickard. in thesaur. Pharmaceut.* p. 432. ℞. Ovorum recentium No. iii: coque tamdiu, donec exteriores cortices ab illis removeri possunt, postea macerentur per noctem in Urina ægri, & mane ante ortum Solis omnia simul ponantur in acervum sc. cumulum formicarum, & æger brevi tempore sanabitur, modo confidentia adsit.

Non absimilem modum describit *Reusner.* p. 354. seqq. Si quis Chronica laborat febri, accipe ejus Urinam matutinam, quam in vas æreum vel ferreum infundes, huicque addes vitellum & albumen Ovi: quæ bene mixta ebullire sines: his completis, inde in ollulam omnia, quam obturabis optime, ne ullis perspiraculis aer ingrediatur: & illam in cumulum formicarum, satis facta profunda fovea, colloca. Si morbis est lethalis, momento diem æger obibit suum: sin minus, post vehementem Paroxysmum, se liberum ab omni molestia extemplo sentiet.

Alii alios referunt modos ex Urina pro curatione febrium.

℞. Portionem Salis fabæ majoris magnitudine, liga hanc in panno lineo, quem in Urina ægri macera, integro die: postea sine exsiccari in cineribus calidis, donec ruborem quendam acquisiverit: Hoc remedio mane & vesperi utatur æger cum pane.

Vel. Recens Ovum in urina ægri bulliat, quod in piscinam, ubi pisces sunt, conjiciatur, & momento febrim cessare dicunt,

Vel. Subige farinam cum Urina ægri ad formam placentulæ: coque hanc in furno, instar panis: objice piscibus, ut ab iis devoretur: abit febris, maxime Quartana.

Platerus tract. 2. pag. 168. contra febriles insultus inunctionem pulsuum sequentem describit.

℞. Succi rutæ.
Urinæ pueri an. partes æquales: misce, unge vel lava omnes pulsus paulo ante invasionem Paroxysmi.

6. *In Tympanitide.*

Venter ea fomentatur, ut habet *Hartmann. in prax.*

℞. Urinæ pueror. mund. lib. iv.
Lapid. prunell. ℥. iii. bulliant invicem ad Ignem lentum ad casum tertiæ partis urinæ: hac urina calida fomententur in petiis, facta insuper frictione cum manu.

Sic & *Wittich. p.* 376. notat, Emplastrum confici posse ex Sinapi & Urina pueri ventrique Hydropico imponi, ut venter detumescat.

Reusner. p. 323. hoc habet.

℞. Emplastr. de bacc. laur. ℥. i. ß.
Ungu. Agripp. radic. ebul. an. ℥. ß.
Stercoris vaccin. columbin. an. ℥. ii.
Sulphuris vivi ʒ. iii. ß. cum Urina infantis, & melle q. s. Fiat pro ventris regione, cataplasma molle.

Gabel Kovera sequens depingit.

Sed ...

Sedeat æger in stupha sicca, lapidesque ignian-tur, qui Urina patientis aspergantur, ut ex vapore excitato sudorem patiens concipiat, prout vires fe-runt: mox sese in lectum ponat, & de sequenti a-qua haustum assumat.

℞. Baccar Junip. maturar. q. v. superfunde V. malvatic. ad eminentiam simplicem, ut baccæ tantum optime humectentur; Stent in infusione per 14. horas: postea contunde, ut fiat instar pul-tis: unde aquam destilla: de hac propina ægroto, & si superdormire voluerit, caret omni noxa.

Cl. Sennert. lib. 3. Prax. p. 269. in Tympanit. hoc Cataplasm. commendat.

℞. Stercor. vaccin. capr. an. ℥. iii.
Pulv. rut.
Semin. cum. an. Unciam dimid.
Cum Urina pueri incorporentur, adde.
Sulph. ℥. iii.
Fiat Cataplasm.

7. *In Gangræna.*

Hanc nonnulli curant, si cum Urina patientis Sal armoniac. coquatur, & decocto locus affectus calide foveatur.

8. *In podagræ præservatione.*

Præmissis Universalibus sequens decoctum propo-nit, *Plater. l. 2. observ. p. 474.*

℞. Ossium diversorum combustorum cum ligno Quercino cineres, per quos coletur aqua fa-brorum extinctionis ferri, addita mens. i. Vini ru-bri & Urinæ pueri: fiat lixivium satis efficax, in quo decoquantur Pruna sylvestria ad usum siccata ad. P. i. vel ii.

Salviæ, Chamæpyt. an. M. i.
Salis P. i. Utatur frequenter, præsertim corpore purgato: pedesque podagræ obnoxii sæpe in eo immergantur mane & vesperi: sic per bienni-um totum, quædam ab hoc hoste libera fuit.

9. Quin & Clysteres ad varia morborum genera ex Urina paratos apud Practicos legimus.

Ad Colicum dolorem in Consil. Scholtz. 109. Helidorus de Paduanis sequentem præscribit. ℞.

℞. Succi Parietar.
URINÆ pueri an. ℥. v.
Olei rut. Vini cocti an. ℥. iii.
Ovorum lutea. No. ii.
Salis ʒ. i. Fiat Clyster.

In inappetentia febrili Joubertus, referente *Duncanotr. de febrib. p.* 806. hoc clysma parat, & applicat in declinatione morbi,

℞. Vini albi ℥. vi.
Urinæ puerorum ℥. v.
Mellis de spumat. ℥. ii.

Fiat Enema, quod mucosa evacuat, & à Ventriculo pituitosa educit: sed si quis efficacius desideret, infundent prius aliquid Phlegmagogi.

In Curatione Calculi & Cachexiæ duplices ex Urina compositos habet Clysteres *Salamon Albert. in consiliis à Brendelio collectis consil.* 89.

1. Ut ex abdomine simul aquam educat. *p.* 326.

℞. Fermenti acris ℥. i. ß. Coq. quantum satis, addito Salis parum: colaturæ sume ℥. viii. quibus circa decoctionem dissolve.
Urinæ pueri impub. ℥. iv.
Mellis despumat. ℥. i.
Ol. rutacei. ℥. iii. Misce.

2. Ut alvus modice fluat, & illac serum profluat.

℞. Linariæ M. i. Coq. in jusculi carnis lib. i.
Affusâ Urina pueri impub. ad ℥. i ß.
Olei rutac. ℥. i.
Electuar. hier. Nicol. ʒ. ii. M.

In Anasarca Plater. tr. 3. *p.* 289. sequens conficit Enema, fæces educens, stimulans, & abstergens, flatusque discutiens, cui admiscet Urinam hom.

℞. Herbar. emollient. 3. vel quatuor ad M. iii.
Mercurial. vel Betæ, Pulegii
Calaminth. an. M. i.
Flor. chamomel. Sampsuc. Centaur. min. an. P. i.
Rad. Irid. Enul. asar. an. ℥. i.
Sem. fœnicul. Carui vel cimin. an. ʒ ii.

Fiat

Fiat decoctio in aqua vel decocto Hordei seu cicerum, dissolve in f. q.

Benedict. laxat. vel Hier. ℥. ß.
Urinæ ℥. ii.
Olei rutac. aneth. an. ℥. i. ß.
Salis parum. m. Fiat Clyster.

Ibidem abstergentem alium Clysterem minus operosum ponit.

℞. Urinæ pueri lib. i. cui & lixivium addi potest, Ol. de lilio, vel chamom. ℥. ii. m. Fiat Clyst.

Sequentia duo Enemata ad Anasarcam commendat *Reusner.* p. 321.

℞. Puleg. utriusque. calaminth.
Majoran. an. m. i.
Agarici in panno ligat. ℥. i.
Sem. anis. fœnic. rut. an. ℥. ß.
Fl. anthos, stœchad. arab. an. P. i.

Fiat decoctio in lib. i. dissolve.

Urinæ pueri vel muriæ piscium ℥. i.
Benedict. laxat. ℥. ii. misc. Fiat. clyster.

Vel. ℞. Radic. cyclamin. ebul. asar. an. ℥. ß.
Fol. mercurial. brassic. marin. eupator.
Absinth. puleg. an. M. i.
Sem. carui. petrosel. genist.
Anis. an. ʒ. iii.
Polypod. q. Senæ Alex. an. ℥. ß.
Flor. genist. M. i. Coq. in s. q. aquæ ad lib. i.
Colaturæ addantur
Urinæ pueri. ℥. i. ß.
Diaturb. cum Rhabarb. ʒ. v.
Bened. laxat. ʒ. ii.
Ol. rutac. & Irin. an. ℥. i. ß.
Salis commun. ʒ. i. Fiat Enema, quo sæpius utatur Hydropicus.

Aliud Enema ad *Ascitem* cum Urina paratum.

℞. Parietar. pedis columb.
Rutæ, folior. sambuc. ciclæ. an. M. i.

Chameleæ, brassic. marin. an. M. ß.
Anis. fœnicul. an. ℥. ß.
Apii, petrosel. an. ʒ. i.
Fl. anth. genistæ an. P. i.
Asari ℥. ß. Fiat decoctio in aqua fontana.
In decocti lib. i. dissolve.
Benedict. laxativ. ℥. i.
Urinæ pueri ℥. ii misce. Fiat Clyster.

Reusner. ibidem sequentem subjungit clysterem præstantissimum, flatus discutientem, aquam educentem, ad hydropem, asciten, adjuncta Tympanit. à scirrho jecinoris.

℞. Urinæ pueri impub. ℥. x.
His incoque fermenti ℥. i. ß.
Semin. fœnicul. aneth. an. ℥. i. ß.
Mellis despumat. ℥. i. Fiat clyster.

In podagra. Plat. tr. 2. p. 797. acre hoc purgans & divertens habet Enema.

℞. Radic. bryon. vel rad. Cucum. asinin.
Hermod. an. ʒ. vi.
Agaric. asari an ʒ. ii.
Herb. erysim. pulegii utriusque, absinth. an. M. i.
Sumitat. Centaur. P. i.
Sem. rut. erysim. an. ʒ. ii.

Fiat decoctio, & in s. q. Colati dissolve.

Mellis ℥. i. ß.
Urinæ pueri ℥. ii.
Hier. logod. ʒ. iii.
Succi nasturt. aquat. ℥. i.
Ol. amygdal. amarar. ℥. iii.
Salis parum. M. Fiat clyster.

Immo ex sola Urina parari posse tale quid ibidem docet, additis pro libitu oleis destillatis.

10. *In cicatricibus oculorum.*

Antonius Portus l. 4. de peste cap. 43. in iis tollendis URINAM pueri in fumo in vase æneo coagulatam valere scribit.

SPAGYRICA

SPAGYRICA URINÆ PRÆPARATIO.

Præmittimus hic optimo jure Aquæ & Spiritus simplicis destillationem, quæ ab aliis aliter instituitur.

Conrad. Kunr. p. 1. med. dest. p. 105. hunc habet modum.

℞. Urinam hominis sani q. pl. collige eam in vase aliquo, stet per mensem vel etiam amplius, ut sic subsideat, & purum ab impuro separetur: tunc inde eam in vas vitreum capacissimum bene lutatum, alembico imposito, pelle per arenam lento primum ignis gradu, mox fortiori, ut media quantitas ejus evocetur: Remanentiam remove, cum ob summum fœtorem nullius sit usus. Destillatum vero cohoba, id est, destillationem illam adhuc semel repete, ut prius, & remanentiam vicissim remove: sic rectificatur Spiritus Urinæ, qui instar Spiritus vini flammam concipit: In hac destillatione quoque Sal Urinæ Volatile ascendit, de quo postea.

Hartmann. in notis in Croll. D. 68. f. 387. Spiritum Urinæ sic parat.

℞. Urinæ puerorum duodecim annos & infra natorum, vinum bibentium, sufficientem & magnam quantitatem, putrefiat in Cucurbitis probe munitis in fimo equino per mensem Philosophicum, qui est dierum 40. Finito putrefactionis tempore, urina destilletur per alembicum ex arena in receptaculum satis capax, donec omnis humiditas ablata fuerit: destillatam tertio à capite mortuo rectificetur, ut exinde postea spiritus juste elevari possit.

Ex phiala itaque longioris colli cum suo alembico & recipiente juncturis undique probe, beneque munitis, ac per spongiam oleo olivarum parce imbibitam & leviter expressam in collo orificii statuminatam per fervens Balneum destillatio instituatur, elevabitur Spiritus Urinæ instar chry-

stalli, ac alembici spondylibus adhærebit, nulla concomitante humiditate aquea, sed solo spiritu volatili prodeunte: Hæc vero destillatio ad completam elevationem totius spiritus continuanda est.

Fæces post Spiritum in phiala residuæ, abjiciantur, quod vero superne sublimatione prodiit, cum aqua pluvia destillata solvitur, & colligitur, similique modo ex phiala, ut prius, per spongiam, oleosam destillatur, idque sexies repetitur, semper aquam recentem destillatam capiendo. Hic denique ad summam puritatem deductus Spiritus Urinæ, inque phialam Hermetice clausam conditus per quindenam lento calore B. roridi digeritur, donec totus in liquorem limpidum solutus fit. Huic, postea additur æquale pondus spiritus seu Alcoholis Vini ex vino ipso facti, & correcti, qui ambo in frigidissimum locum positi elapsa hora una vel altera in albissimum Salem coagulantur, qui Sal denuo per lentum calorem B. vaporosi in phiala Hermetice clausa spatio 20. vel 30. dierum in liquorem vertitur deinceps asservandum. Hujus usus insignis est in auri solutione, ut postea monebitur.

Zuingerus seqq. modo *Orionium* suum S. SPIRITUM URINÆ præparavit.

Urinam puerilem in vase aperto sine per quatriduum per se fermentari: deinde lento igne abstrahe aquam fœtentem per alembic. in Balneo destillando. Cum acris liquor succedit, muta conceptaculum, & hunc seorsim excipe. Rectifica eum denuo, & primam aquam acrem, quæ spiritualis est, serva, reliquiis, quas ex mutato sapore cognosces, neglectis. Mitescere enim incipiunt guttæ acri Spiritu subtracto: Spiritum in novam cucurbitam injectum destilla, de novo, & accipies Spiritum Orionium, qui per lintea applicatus Plegmonis, crebraque mutatione eas sanat, *Libav*, *Syntagm. arcan.* pag. 443.

Spiritum hunc lib. *Tabernæmonum M.* 88. *fol.* 594.

504. *Urinæ Balsamum* appellat *Reusner. M. 87. pag. 313.* qui & merito Catholicon dici potest remedium, ob insignes, quibus pollet, virtutes.

Ut enim cruda adversus plurima corporis nostri mala utimur: ita præparatam majori cum fructu adhibere poterimus.

Utimur Spiritu Urinæ in Pulmonum affectibus cum appropriato pectorali. In *Hydrope* præstantissimum est medicamentum: menses suppressos movet, resistit corruptioni, putredinem arcet, hinc omnis generis febres sanat, solvit obstructiones jecoris: In retentione Urinæ, ut & calculosis affectibus mira præstat.

Sic refert *Unzerus in simplic. antinephritic. catalogo pag.* 202. sibi à quodam Chymico probatissimo relatum, qui nonnullis calculo renum, vias urinarias simul obstruente laborantibus, exhibitione Spiritus Urinæ rectificati cum convenienti liquore permixti, præsentaneum auxilium attulit, adeo ut non solum imposterum Urina libere profluxerit, verum etiam simul copiosæ arenulæ & lapilli comminuti fuerint.

Valet & Spiritus ille in *Podagra*, ut habet *Popp. l. 3. thesaur. p. 648. Libav. l. 1. arcan. Chym. p. 430.* potestque aliis antipodagricis admisceri, & tum interne, tum externe usurpari.

In Ictéritia sequens ponit *Popp. l. c. p. 262.*

℞. Syr. Chamomill.
verben. rosar. an. ℥, ß.
Spiritus Urinæ g. viii. misce pro duabus dosibus.

Adversus Nephriticos dolores: Cum oleo Urinæ, cui infunditur aliquid olei de spica ob odorem. Fiat inunctio calido modo, & superpositis panniculis pectini in spina dorsi & lumbis ac circumquaque *Poppius. l. c. p. 374.*

Si vero in Spiritu Urinæ solvantur oculi cancri, & hoc solutum per syringam membro virili immittatur, optime resolvit calculum vesicæ *Pansa in Apotec. Domestic. p. 117.*

In Peste, g. vi, aut 8. in aqua levistici exhibet, *Poppius in Hodogetic. Chymic. p.* 234.

In Stranguria, spiritus Urinæ g. viii. in vino exhibet, *Popp. l. c. p.* 522.

Similiter in *Diabete* cum brodio carnis *Idem p.* 525.

Externus usus est 1, In *Podagra*, si Spiritu Urinæ vel simplici, vel cum aliis mixto membra affecta foveantur, & per se exsiccentur, idq; quater in die repetatur, resolvit causam Podagræ, doloremq; sigit.

2. Si membra frigore fuerint correpta, & inde tumorem aut aliud vitium contraxerint, optime fricentur hoc spiritu: interna tamen remedia non negligantur, inprimis ea, quæ sudorem provocare possunt.

3, *In oculorum hebetudine*: Si succi è Cichor. Floribus ʒ. i. misceamus cum *Spiritus Urinæ* gutt. vi. & in oculos nonnullas guttulas instillemus, *Popp. l. c. p.* 90.

4. *In Surditate* ex Catharrho; Tunc Spirit. Urinæ & Vin. malvatici an. q. s. miscemus, & destillamus hos duos spiritus, & guttas tres instillamus auribus, perque octiduum continuamus. *Idem p.* 123.

Spiritus hic Urinæ non acerrime prolectus, egregie extrahit Tincturam Smaragdi, si ejus sufficientem quantitatem fundas super Smaragdi pulverem in ferreo mortario frictum, & relinquas aliquandiu in calido, probe obturato vitro, donec satis cærulea appareat Tinctura: impregnatum decanta, & destilla, ut ejus extractum maneat instar cineritii coloris: Ex hoc per Spiritum Urinæ extrahe viriditatem, quæ est essentia Smaragdi, si paululum ab eadem Spiritu Urinæ per destillationem revocato, crassiusculam subsidentiam nacta fuerit.

Hujus usus statuitur eximius ad Cerebrum. Dos. à gr. iv, ad vi, vel viii, cum vehiculis convenientibus; curat Melancholiam, Phrenitidem, & insigne est Cordiale; palpitationem Cordis mirifice tollit, syncopas solvit, sperma auget, mulieres fœcundas reddit, menses superfluos, & hæmorrhoides

sistit.

sistit, dysenteriam, & quemvis alvi fluxum etiam diuturnum curat: In peste denique, aliisque febribus malignis sufficienti praeservationi & Curationi multum prodest.

Hoc Spiritu Urinae praeparetur Vitriolum, cujus usus singularis est.

℞. Spiritus Urinae q. v. superfunde supra Vitriolo in pulverem album per digestionem praeparato, & rursus exsicca; exsiccatum destilla per retortam, & praepone in recipiente Urinae ℥, iii, destilla spiritus, ut artis est, deinde in Igne vaporoso lento destilla Phlegma, sic accipies Vitrioli Spiritum crystallinum, qui per rectificationem est arcanum in Phthisi, Peripneumon, Caduco, &c.

Conficitur & ex eo *Aqua antipodagrica* apud *Quercetan. in Pharmac. Dogmat. restituta* p. 119. sequenti modo.

℞. Aq. destillat. s. Spiritus Urinae pueri vinum bibentis lib. iii.

Spermat. ranar.
Tapsi barbat.
Filicis an. lib. ii. ß.
His adde Theriac. recent. ℥. ii. ß.
Vitrioli. Salis fusi.
Alumin. an. ℥. iv. destillentur haec ad siccitatem per cineres; huic aquae adde,
Salis Vitriol. i. e. e suo Colchotare extracti. ℥. i. ß.
Camphor. Croc. an. ℥. ii. misce: Ex hac aqua foveantur partes dolentes tepide, saepe renovando nova immersione linteola: Vel ex muria Salis & Urina pueri an. simul mixtis, destilletur aqua ad eosdem dolores placandos.

Ingreditur, denique compositionem Misturae adversus Tartareos Cerebri affectus, quam seq. describit, *Poppius Thesaur.* p. 61.

℞. Liquor. Margarit. Corallor an. ℈. i.
Oculor. cancr. ℈. ii.
Sem. urticae ʒ. i.
Nasturt. hortens. ʒ. i. ß.

Petro-

Petrosel. ℥. iii.
Saxifrag. ℥. i.

Visci quercni ʒ. ii. Omnia pulverisata indantur vitro: adde Spiritus Terræ sigill. ℥. vi.
Urinæ ℥. ß. Vitrum probe muniatur, & per 14. dies stet in leni calore ad circulandum.

Dosis cochlearia duo aut tria, pro qualitate naturarum & personarum.

SAL URINÆ.

Duplicem obtinet; Essential. seu volatilem & Fixum: De Sale volatili, superius dictum est, quod in destillatione Spiritus simul ascendat: Fixum vero alio paramus modo.

Urinam pueri q. s. accipe, & supra ignem tamdiu fac ebullire, donec incrassetur, & materia quædam nigra remaneat. Hanc in igne instrumento idoneo probe calcina per aliquot horas: solve calcinatum in aqua communi, & præpara instar alterius Salis communis, qui & solutione & coagulatione ulterius elaborari potest, ut albedinem contrahat.

Vires Salis urinæ sunt.

1. Si pulverisetur certo experimento subvenit omnibus oculorum morbis extrinsecus, si modicum ipsius bis in die oculis inspergatur.

2. Ad confortandum Ventriculum. *Popp. l. 2. thes. med. p. 295.*

℞. Salis Urinæ fix. nitri præparat. an. ʒ. ii.
Galang. macis. Cubebar. an. ℥. ß.
Pimpinell. Cortic. aurant. cal. aromat. an. ʒ, vi.
Zingib. ʒ. vi. misce Fiat pulvis dosis. ℈. i. quo mane utatur.

3. Ad educendum fœtum mortuum sequens Tinctura paratur.

℞. Salis Urinæ ʒ. ii.
Pulver. sabin. calaminth-montan.
Cinam.

Cinam. dictamn. Cretic.
Myrrh. Castor. an. ℈. ß.
Croci gr. v.
Farin, cicerum rub. ℥. ß.
Capill. Vener. ℥. i.
Baccarum laur. decorticatar. ℥. ß.

Fiat omnium infusio cum Vino, & lege artis paretur Tinctura.

4. Ubi contra obstructiones pugnandum Salem hunc adhibere possumus. est insuper diureticum insigne.

Dosis gr. iv. in convenienti liquore.

5. Solutio Lunæ Sale hoc quoque perficitur.

℞. Salis Urinæ q. v. affunde quintæ essentiæ vegetabilis Philosophicæ q. s. pro solutione; postea abstrahe, hoc reitera & tertio semper repetendo cum recenti Sale, & quinta essentia magis rectificatur. Cum hoc solve calcem Lunæ, & distilla, & Unica essentiæ Uncia lunæ, trahit vel auri ℥. ß. super alembicum. *Myl. Basil. l. 2. p. 68.*

Vel. Calcina Lunam perfectissime cum Sale Tartari, & Sulphure, ut artis est, calcinato postea adde recentis Salis Tartari & Salis Urinæ an. partes æquales: superfunde etiam de Spiritu Vini Tartarisato, digere, putrefac, & deinde destilla Lunam per alembicum, & digere postmodum in oleum Idem. ibid. p. 82.

6. Sale hoc Mercurius Jovis elicitur.

℞. Tenuissimam limaturam Jovis q. v. misce cum Sale Urinæ & Sale communi, ut artis: postmodum putrefac in B. M. per quatuordecim dies ac noctes: hoc tempore elapso destilla per descensum, & in aqua, quæ est in Recipiente invenies *Mercurium Jovis.*

Curat Luem Veneream, purgat & viscera reserat, solvit obstructiones Pulmonum: &c.

7. Ex hoc sale Spiritus quoque elicitur, qui *Spiritus Salis Orionii* dicitur, & sequenti modo à *Libav. Syntagm. arcen. p. 443. delineatur.*

Hominis sani Viri Oenopotæ temperate viventis,

tis, Urinam putrefac in ampulla ampla sub fimo per octiduum: ablatis impuritatibus coque ad mellis consistentiam: huic immisce arenam, ut evadat dura massa: Torre hanc & pulverisatam aqua stillaticia pluviali perfunde, & Salem extrahe, quem pluribus solutionibus & filtrationibus purgatum destilla, ut halonitrum, aut Tartarum.

Usus hujus spiritus est in tophis podagricorum, calculo, aliisque morbis Tartareis.

8. Nec non *Mercurius Microcosmicus*, cujus descriptionem habet, *Topp. l. 2 thesaur. med. p.* 231, seq.

Collige primum Urinam, pueri impubis s. q. putrefiat per aliquot tempus, inde destilla Spiritum, quem probe serva, nequid exhalet: materia residua exsiccetur, & reverberetur, ut omnis fœtor secedat: extrahe inde lege artis salem; Hujus ℞. lib. ß. argill. lib. v. misce invicem, & formentur globuli, qui exsiccati destillentur per Retortam igne aperto, sic habebis *Spiritum Salis Microcosmici*, quem inde vitro longioris colli, & accipe spiritum antea servatum & sensim instilla, guttatim quidem, sic exorietur ebullitio & stridor: Sedato illo motu, adde alembicum, & primum inde Phlegma destillando elice, donec materia exsiccata appareat: postea muta alembicum, & probe munito vase per arenam destilla secundum gradus ignis, postea urge, sic sublimabitur materia instar salis armoniaci, quem serva.

Hic est *Mercurius ille Microcosmicus* summum arcanum in doloribus Pulmonum, & Thoracis, Phthisisque remedium;

Dosis gr. vi. usque ad in Vino, vel alio Syrupo.

Cum hoc Mercurio Microcosmico parat Idem p. 368. confortativum matricis.

℞. Mercurii Microcosmici ʒ. i.
C. C. usti præparati, ʒ. ß.
Salis Margarit. Corallor.
Essentiæ Opii, Papaver. an. ℈. i.
Arcani Vitriol. ʒ. i.
Spiritus Vini rectific. ℥. iii. misce invicem.

cem & in vase clauso leni calore extrahe Tincturam, inde sume ʒ. i. cum ℥. i. Syrup. violar. & utere: poteris interdum addere ol. Cinam. & Caryoph. guttas pro libitu.

Valet & hic Microcosm. Mercurius in Lue Venerea, teste *Poppio l. 3. thes. p. 744.* si ℈. i. in Vino assumatur, & quotidie repetatur, donec signa morbi immutentur: Est enim in hoc Mercurio, in quo Medicus, præmissa divina clementia, confidere possit.

Ut & in lepra specificum esse, asserit idem p. 803. cum non tantum in hoc casu per sudorem, sed & per alvum operationes suas edat.

Pag. v. 588. In contractura similiter Mercurium hunc commendat; si scil. resolvatur in Spiritu Vini, & cum dimidia parte Aquæ vitæ circulatæ misceatur, de qua mixtura ℈. ß. in Vino, vel aqua præparata conveniente exhibendus.

Pag. 947. præparat inde Pulverem antipodagricum purgantem sequentem.

℞. Fol. Sen. ℥. i.
Hellebor. nigr.
Ossium human. an. ℥. ß.
Mercurii Microcosmici.
Scammon. Hermodactyl. an. ʒ. iß.
Salis Corall. rub. ʒ. i.
Sachari tabarzet ℥. ii. ß. M. F. pulvis subtilissimus: de quo ℈. ii. usque ad ʒ. exhibeantur.

QUINTA ESSENTIA URINÆ.

Hujus delineatio reperitur apud Poppium in Hodegetico Chymico p. 192

Collige Urinam hominis sani juvenis, annorum 30. qui simul castitati & munditiei studet, Vinumque pro assiduo assumit potu; sintque ejus mensuræ 40. aut 50. infunde in vas ligneum, inferius angustius, superius vero augustius, quo sic fæces in fundo subsidant: vas illud claudatur, & muniatur, stetque per quatuor aut quinque menses, ut Urina putrescat;

putrescat; quo enim longius ita Urina subsistit, eo etiam majorem concipit putredinem, & major quantitas spirituum inde elicitur. Destilla idipsum; sic primum spiritus acerrimus, mox Plegma egreditur: utrumque seorsim collige: Remanentiæ superfunde spiritum destillatum, & ex arena vicissim destilla: sic Sal crystallinus in alembicum adscendit: quem vicissim cum remanentia conjunge, & inde destilla: idque repete quatuor aut quinque vicibus. Ultimo fortiorem ei suppedita ignem: materiam exime, & sensim reverbera, ut incandescat: postea inde cucurbitæ, & affunde ipsi prædestillatum Phlegma, pone in loco calido ut separetur purum ab impuro: filtra, & puram aquam destilla, Phlegmaque inde separa, sic remanet Sal albissimus in fundo, quem cum Spiritú & Sale volatili junge, & in vase optime clauso serva, inque Igne vaporoso ad putrefaciendum per binos menses colloca: Vitrum aperi, & affunde Spiritum vini, materia solvatur, fæcesque separentur, illudque, quod Crystallinum est serva.

Vera hæc est Essentia, verusque Spiritus subtilissimus Urinæ, quo miracula in Medicina peragi possunt.

Aliam habet *Faber in Myrothecio Spagerico lib.* 1. c. 12,

Sumatur, inquit, URINA hominis sani, cujuscunque sit ætatis, modo non decrepitæ, Sole & Jove in Piscibus existentibus, & colligatur maxima in quantitate, ad libras circiter viginti. His adde ad celeriorem putrefactionem Spiritus Vini libras quinque, imponatur simul in vase vitreo optime clauso ad putrefactionem in fimo calido per mensem donec nigrescat per quam optime Urina, deinde destillata lentissimo Igne ut separatur Spiritus vini, quem cognosces striis destillantibus in Capite alembici, cum cessant prædictæ striæ, muta recipiens, & collige Plegma Urinæ, donec fumi albi apparuerunt in capitello alembici, & in Salem albissimum congelati fuerint. Salem separa

para à capitello alembici, & custodi in vitreo vase optime clauso, fæces combure fortissimo Igne, & calcina tamdiu, donec albescant cineres, ex his deinde Salem extrahe Plegmate proprio suo si vis, aut Phlegmate Vini, & calcina tamdiu, & solve & coagela, & iterum calcina, solve & congela, donec Sal albissimus sit, & purus ab omni fæculento excremento; hunc Salem priori conjunge: & adde his tertiam partem ponderis sui, Vini Spiritus, ab omni Plegmate vindicati, & serva, poterit etiam loco Vini Spiritus, addi Spiritus Terebinthinæ rectificati, & servari.

Vires & usus Essentia Urinæ humanæ.

1. Calculum renum, vesicæque rumpit, & atterit, earumque partium ulcera brevissimo conglutinat tempore.

2. Gonorhrhœam virulentam citissime sanat, si cum eo granum unum aut alterum Camphoræ solvas

3. Vulnera, ulceraque externa, eo peruncta ad Cicatricem perducit.

4. Difficultatem meiendi quamcunque cum Sp. Terebinth, citissime tollit.

5 Putrefactioni internæ resistit, necat vermes, & à febribus putridis præservat.

6. Tempore Pestis, summum est contagionis præservativum.

7. Tumoribus applicatum tepide cum linteolis aut gossipio ad maturitatem perducit.

Sumitur in aq. Cinam. ad quantitatem granorum decem usque ad duodecim mane jejuno stomacho, & post potum deambulandum est, si fieri potest. Eo enim modo purgat mitissime & Urinas excitat.

Hisce subjungenda est separatio quatuor Elementorum ex Urina quam *Libavius l. 2. alchym. de magister. p.* 109. seq. describit.

Destilla, inquit, Urinam totam: fæces tere, affunde aquam ad tres digitos, & macera, destilla iterum: potes hoc & quarto repetere: & exibunt

duo

duo Elementa: aqua sc. & aer: separa in B. caput mortuum, irriga Phlegmate, & pone in cella, donec crystalli gignantur: Exime eos, reliquum destilla, quod restat in fundo, iterum irriga Phlemate, ut lapilli emergant, idque donec nulli amplius existant: Hos lapillos ablue per aquositatem: pulverisa & destilla, extraheque ordine partem aqueam & Igneam, terra in imo manet: aqueam materiam conjunge prioribus aqueis, & aereis.

Sequuntur jam Spagyricæ præparationes compositæ cum & ex aliis.

1, Aquæ Ophthalmicæ: quarum

Prima est, *Rondelet*: quam habet *method. curand. morbor. p.* 255.

℞. Rad. fænicul aristoloch rotund. an. lib. ß.
Herb. Chelidon. rutæ; summittat. fæcul. an. M. iii.
Fl. rosar. recent. Centaur. minor. an. P. iii. macerentur simul in melle, addendo URINÆ pueri impubis lib. ii. idque in vase æneo per decem dies, agitando tantum quarto quoque die, & æruginem radendo, & simul miscendo; destillentur omnia simul, & aqua servetur usui. Radices incidantur in taleolas, Vas æneum reponatur ad Solem, vel in fimo. Hæc aqua, quia liquidissima est, & in canthos efflueret, ut aliæ liquida, ei dolorem faceret, si adnatam contingeret, inspissanda est mucilagine, cum prædicta aqua extracta, vel vitello ovi, & mucilag. gummi tragacanth; adhibeatur è directo pupillæ tantum in palpebris.

Secunda; *Francisci Joelis l, 2. practic. s. 1. p.* 160. quam & paucis tantum immutatam *Altomarus* habet, ex eo *Weckerus l. 2. antidotar. spec. p.* 463.

℞. Herbarum recentium exsiccatarum tamen.
Fœniculi, rut euphras.
Betonic. verben. tormentill.
Gallitr. anagallid. chelidon. an. M. i.

Fl. rosar. sylvestr. Cichor.
Agrimon periclym. an. M. ß.

Contusa omnia misceantur, & cucurbitæ vitreæ imponantur, quibus admisceantur.

mellis virginei lib. v.
Urinæ infantis,
Vini generos. Roris cœlestis in mensibus Maio aut Junio collectis per fœniculi virescentis herbam mundissimo linteolo collecti & expressi an. lib. ii. qui liquores affundantur herbis & per 14. dies digerantur, vitro bene clauso in ventre equino, ac tandem exempto vitro in furnum arctum, & cinere tenui plenum collocato, eique cucurbitæ alembico vitreo imposito artificiosissime destilletur; aqua vero extracta ter ad fæces siccari incipientes refundatur, ac subinde iterum destilletur.

Præclare suffusioni, & omnibus fere affectionibus opitulatur, frequenter instillata oculis.

Tertia, Quercetan. in Pharmac. dogmat. restit. p. 90. Componitur, inquit, Aqua quædam Ophthalmica ex lib. ij. Urinæ pueri, additis ℥. iv. Vitrioli, totidem Unciis Tutiæ; ex quibus omnibus per dies aliquot maceratis; deinde per cineres ad siccitatem destillatis fit aqua opthalmica, cujus guttulæ aliquot inflammato oculo aut debilitato admoveantur.

Quarta, D. Fabritius Medicus Princip. Megapol. & Professor Rostoch. sequens in usu habuit Collyrium cum Urina paratum.

Primo. ℞. Herbar. recent. fœnicul. rut. euphras.
Verben. chelidon. lactucæ Sylvestr. an. M. ß. exprimatur succus, & servetur.
Secundo, ℞. Flor. rorismar. salv. rosar, an. P. i.
Sem. fœnicul. ʒ. i.
sileris montan. ʒ. ß.
Gran. Junip. ʒ. i.
Caryophyll. Piper. long. an. ℈. ß.

Sarco-

Sarcocoll. nutrit. in aq. fœnicul.
Aloes succotrin. an. ʒ. i.
Camph. Vitriol. alb. an. ℈. i.
Tut. præparat. ʒ. i. contundantur, & aspersis Urinæ pueri sani.
Vini albi an. q. s. reducantur in pastam, destillentur in cineribus.
Tertio. ℞. Saniei emanantis ex Epate capræ cum felle inciso, & tosto. q. h.
Succi superioris reservat. q. h.
Fellis gallinar. ʒ. ß.
Aquæ antea destillat. q. h.
Mellis anthosat. ℥. ß. Misce & destillentur in B.

Quinta: Petri Hispani, quam describit *Wecker. l. c. p. 462. & Reusner pag. 319.*

℞. Sem. fœnicul. petrosel. apii.
Sileris montan, anis. carui gallitric.
Rad. chelidon. acori
H. betonec. agrimon. tormentill.
Rut. verben. an. partes æquales: terantur & ponantur prima die in Urina pueri virginis: secunda, in Vino albo: tertia in lacte mulieris, sive asinæ: quarta die destillentur hæc omnia, & serventur, ut Balsamum, & obtura vas, ne quid expiret.

Visum acuit, & oculos clarificat, & maculas & panum delet.

Sexta. D. Wolfius Medicus olim Cassell. hanc commendavit, ut habet *Myl. in antid. pag. 540.* & paucis immutatam *Reusner. p. 316.*

℞. Herb. Chelidon. euphras. rut.
majoran. verben. betonic. an. M. ii.
Sem. fœnicul. sileris montan. an. ℥. ß.
Rad. cal. aromat. ʒ. vi.
absinth. hortens. M. ß.
Fl. cyan. rosar. an. M. i. ß.
Thuris, aloes, myrrh. an. ʒ. ii.
Aq. rosar. lib. ii.
Vini malvatic. aq. rut. an. lib. i.

Urinæ

Urinæ pueri lib. ß. Infundantur omnia per quinque dies, postea l. a. destillentur in vase vitreo, destillatum vase cooperto optime reservetur.

Septima, *Ranzovii* hoc circumfertur.

℞. Herbar. fœnicul. absinth. apii, rut. euphras. Salv. betonic.
pimpinel, Carduib. an. partes æquales.

Hæc omnia simul in mortario contusa misce, ac Urinam pueri infunde.

Deinde. ℞. Granor. piper tus. No. xv.
mellis cochl. ii.
Camphor. ʒ. i. Hæc omnia simul in mortario contusa, per linteum exprime, & colaturam sive succum in vitreo vase conserva, ac inde singulis diebus vesperi & mane guttam unam in oculum patientis instilla; animadvertendum tamen est, quod hæc aqua per spatium novem dierum Soli est exponenda, & destillanda antequam in usum feratur.

II. Spiritus Antepilepticus Puerorum.

Hujus mentionem faciunt. *Clarissim. Seun Instit.* p. 1217. *Libavius l. 2. alchym. tr. 2. p. 129. Finckius in Enchirid.*

℞. Vitriol. Ungaric. lib. iv.
Urinæ puerorum sanor. recens collect. Mens. ii. s. lib. 8.

Digere hæc vase clauso in B. octo Diebus (alii mensem ponunt Philosophicum) postea destilla ad siccitatem duplex Phlegma; quorum primum commendatur ad omnes oculorum inflammationes leniter oculos lavando; alterum ad dolores podagricos leniendos. Relictum in fundo misce cum argilla, & ex igne nudo per retortam distilla, sic elegantissimus prodibit spiritus; tandem urge vehementissimo igne, donec nihil amplius destillando prodierit; extremum Spiritum rectifica ex B. à Phlegmate, postea urge per retortam ex arena habebis ea ratione spiritum antepilepticum puerorum; cujus guttæ aliquot in aq. Pæon. rad. & fl. tiliæ, & lilior convall. ad gratam aciditatem mistæ, pueris convulsis, tum in ipso Paroxysmo, tum post eundem

dem exhibentur: non neglectis aliis Cerebrum roborantibus.

Spiritum hunc *Cl. Sennert.* sic exhibet.

℞. Hujus Spiritus ℈. i.

Aq. rad pæon. Flor. tiliæ an. ℥. i. misce, & in Paroxysmo cochleari dimidium exhibet; & post paroxysmum iterum aliquid.

Ego sequentem cum hoc Spiritu præscribo misturam Nobilem.

℞. Aq. flor. til. calendul. cerasor, nigr. ℥. iii.
hyrund. compos. Cephalic. aur. Dornc. an. ℥. i. ʃß.
Liquor. C. C.
antepilept. cum Sale Cran. H.
Spiritus Ceras. nigror an. ℨ. iii.
Syr. è fl. pæon. ℥. i. ʃß.
Spiritus Vitrioli Antepil. g. xx. Misce;

De hac mixtura cochleare unum exhibetur: dosis augeri, minuive potest, pro ratione ætatis: hoc ut plurimis profuit, ita inprimis Nobilissimus quidam Borussus à Kreutzen annorum 14. qui à prima infantia Epilepsia divexatus fuit, tandem non neglectis aliis optime convaluit.

III. Extractio Lunæ Antepileptica.

℞. Laminas Lunæ, & Sulphur vivum, stratifica & cæmenta ex arte purissime, Sulphure combusto, & in totum deflagrato, calcem edulcorato: huic calci superfunde acetum destillatum, quo viriditatem extrahat (si in cella reposueris, dabit Vitriolum, quod hic nolumus) acetum vicissim per B. à viriditate abstrahe, edulcora, ut ante, quo Calx evadat subtilior. Huic animæ extractæ hoc menstruum sequens superfundes.

℞. Urinæ puerorum quantum s. hanc superfunde Vitriolo purissimo Ungarico, & pone ad putrefaciendum, postea B. lente destilla, per remanentiam tere subtilissime, pone in retortam, ex arena destilla lentissimo Igne, attamen aperto, ne Urina frangat vasa; & primo observa venientes spiritus; ultimo

ultimo oleum viride Vitrioli. Hoc oleum rectificabis, & superfundes animæ Lunæ, & tenebis totalem thesaurum in cura Caduci: habebis enim eximium specificum Epilepticum, Apoplecticum & Cephalicum.

IV. Medicamentum Antipodagricum.

Hoc est, *Mundereri*, quod legitur *tr. de Vitriol. p.* 51. Dissolvitur Colchotar in Urina hominis sani, ut fiat instar pultis, deinde exsiccatur, rursumque Urina inspergitur, iterumque siccatur, atque hoc ter, quaterve repetitur, tandem Colchotar hoc retortæ ad latus inclinatæ inditum furno imponitur, ac instituta destillatione acre phlegma elicitur, cujus portio aliqua oleo verbasc. Sambuc. populi aut ranarum, vel ex floribus Calthæ palustris parato, permisceri, & pro fluxionis Podagricæ conditione dolenti parti applicari & superponi poterit.

V. PANACÆA SOLARIS, cujus præparatio hæc est.

℞. URINAM puerorum vinum bibentium q. s. illam pone ad putrefaciendum, postea inde destilla spiritum in B. M. istamque destillationem semel adhuc repete, & adscendit spiritus candidissimus, illum probe serva, ac retine: quia subtilissimus est: ab alembico hunc penna separa, tradeque permiscendum Salem sublimatum s. spiritum destillato: & adde Spiritum s. alcohol Vini rectificatum æqualem partem, & funde in phialam Hermetice clausam, ac pone in cellam (nam in calido disrumpitur) & coagulantur aliquantum spiritus intra octiduum: cum quibus, ut sequetur procedendum est.

℞. Marcasitam bonam, quæ Chrysocalchos potest nominari, continentem Solificatum Sulphur, præpara, vel separa primo, post sume salis ammoniaci ter antea per communem Salem sublimati tres partes, marcasitæ Chrysocalchos unam partem, sublima forti igne, tunc secum attollit Sal armoniacum Sulphur flavo rubrum in alembicum.

F ℞. Hoc

℞. Hoc sublimatum Sal armoniacum & Sulphur, exsolve una in aqua calida, & infunde guttatim oleum Tartari; tunc cadit Sulphur auri in fundum, resolvunturque Sal ammoniac. & oleum Tartari in aquam, edulcora, ut Sulphur nullam retineat acerbitatem, sicca leni igne: affunde jam Mercurium Vegetabilem ac animalem, vel Crystallisatum Spiritum ad altitudinem digiti, noli ponere in calorem, sed in arenam in cella vitro bene luto munito, si consistit, instar sanguinis rubescet: reserva quatuor septimanas bene munitum, & unientur invicem animæ, tunc exime & destilla in B. M. Spiritum, affunde iterum, hoc repete sexies, per hanc cohobationem aurum omne solvitur: Estque thesaurus humanæ vitæ & valetudinis ineffabilis: Jam.

℞. Purum aurum, resolve in Aqua Regis ex Sale nitro & Sale armoniaco an. facta: abstrahe illam aquam in B. M. quater ad olei formam, affunde iterum, destilla ad siccam calcem, edulcora pura aqua pluviali destillata, tunc sicca, imbibe calcem instar pultis, cum medicina tua infra præparata, pone una per quatuor septimanas in B. M. vasis probe ac bene clausis, & videbis omnem materiam in sanguinem transmutatam: hanc pone in cinerem & subjice ignem, adhibito vero ejus gradu, quatuor septimanarum spatio evadit lapis fuscus, fusilis in igni instar vitri, illum exime, contere tenuissime, imbibe de novo tribus unitis spiritibus, digere vicissim in B. M. postea coagula de gradu ad gradum; quo sæpius imbibis, eo medicina fit nobilior.

Observa in præparatione, omnes, qui in Natura sunt, apparebunt colores, noli autem commoveri, nam meum jam est silere.

Hujus medicinæ gr. i. per se vel cum vehiculo sumptum, curat, quod cupis, modo spes vitæ restet, in operatione prima non est admodum efficax; in altera vero efficacior, & sic deinceps.

VI. *Spiritus metallicus* extrahens Vitriolum Metallorum.

℞.

℞. Urinam pueri vinum bibentis q. p. ac in aheno leni admodum igne, ne ebullitio sequatur, Phlegma inutile evapora ad consistentiam ipsius Urinæ mollem, instar Syrupi. Hoc reconde in phiala longissimi colli, & aptato alembico in loco frigidiore destilla ex ferventi B. & prodibit Spiritus Urinæ instar nivis sese in alembicum elevans, quem diligenter collige & serva; accidit autem interdum, ut incalescente alembico, idem in eodem solvatur, & in subjectum vas instar aquæ lympidæ dilabatur. Ex fæcibus cum aqua destillata calida, extrahe Sal, fac per evaporationem, ut in crystallos abeat, quas diligenter repetitis solutionibus & coagulationibus collectas, cum Spiritu V. priore conjunge, sæpius eundem ab iisdem, multis cohobationibus destillando, donec omne Sal fixum fuerit volatile factum, inque spiritum absumptum. Super Spiritum Urinæ funde Spiritum V. correctum æquali pondere, eundemque ab eodem leni calore B. evoca, qui, si semper recens adjectus, & post destillationem ablatus fuerit, omnem aufert fœtorem, eidem gratum conciliando odorem. Hic spiritus super limaturas metallorum fusus ex iisdem Vitriolum elicit, nominatim vero ex Luna, pretiosum illum colorem, quem pictores ultramarinum vocant.

VII. *Glacies animalis non carens utilitatibus, Quercetan. lib. de signat. rerum pag.* 125.

℞. Urinam adolescentis Oenopotæ, depuretur s. a. cui adde Vitriol. Roman. aut Ungarici duplum, pone ad digestionem in M. B. tepido per sex vel octo dies, in uno aut distinctis alembicis vitreis. Hac digestione peracta augebis ignem B. ut bulliat aqua: Mox imposito capitello, adhibitoque recipiente destillabis aquam, Ac ea quidem, quæ primo exibit, erit insignis aqua opthtalmica. Secunda, priori paulo acrior ad dolores podagricos tepide cum linteolis applicata confert: estque hæc una antipodagricarum mearum. Perge ita urgendo calorem B. aut etiam per cineres calidos,

donec materia in alembici fundo restet instar mellis. Quam postea infundes in vas ferreum, & adhibito igne spatula ferrea continuo agitabis, ne adhæreat: hocque eousque continuabis, donec omnis liquor vi ignis exhalarit, & resideat solum Sal Vitrioli atque Urinæ in fundo siccum & in massa quadam. Hanc pulverisatam in cornutam bene lutatam immittes adhibito amplo recipiente optime signato, ne spiritus exhalare possint; admove ignem vehementem, quali opus est ad parandam aquam fortem: sed tamen ita moderandus est ignis per gradus, donec ad summum perveniat; & videbis tandem recipientem impleri spiritibus albidis undique qui in summo illo calore, tanquam in nubibus aeris congelabuntur in glacies quaquaversum per recipientis capacitatem descendentes: Haut secus sane, ac præingenti frigiditate hyemis & aeris, nubes atque vapores in nivem glacialem s. squammulas congelatas arboribus adhærescentes conspicimus. Ita spiritus hi salis, ignis non frigoris vehementia concrescunt in glaciales illas particulas, & quasi in media etiam flamma. Sic duo hi prædictorum Salium, vulgo Philosophis pro calidissimis habitorum in glaciem congelantur per virtutem coagulativam salis armoniaci acidæ naturæ, quem in se continent. Hæc glacies adservari potest ad modum Salis nitri; de qua si Scrupul. unum aut dimidium exhibeas in jusculo, vino, aut liquore convenienti, ingens erit remedium ad omnes obstructiones Hepatis atque lienis, provocat Urinas, & est specificum remedium ad dissolutionem calculi. Eadem glacies redacta in aquam (non convertitur facile in humido) insigne ac præcipuum est remedium ad inflammationes & gangrænas, quas subito extinguit.

VIII. *Aurum potabile Crollianum* à D. Hartmanno in notis correctum fol.389. v.7.

℞. Menstruum illud ex Spiritu Urinæ & Vino complete confecto (de quo supra fol.45. in præparat. Sp. Urin. Hartm. dictum:) solvatur in ea cal x

auri,

auri, per extremam reverberationem in summam tenuitatem redacta, in lento calore in solutionem instar sanguinis rubentem: Hæc solutio digeratur vase Hermetice clauso per mensem, à fæcibus tandem separata solutione, abstractoque ex lentissimo B. calore Spiritu solvente (in eosdem usus imposterum adhuc dum, & quasi perpetuo sufficiente) aurum manet in forma olei rubicundissimi, suavem odorem de se spargentis, & in quolibet liquore solubilis; proptereaque hoc oleo auri potabilis veri locum supplere, eique succedaneum esse potest. Idem porro exaltatur sc. purius, activiusque redditur, quando nempe spiritu Solari a suo corpore separato Sola, Tinctura, in qua potentissima vis duntaxat residet, per alembicum elevatur. Solutionem itaque auri per arenam ex vase humili, igne aliquantum fortiori destillamus; sic enim post partem menstrui primam cum reliqua ejus parte ipsa auri tinctura per alembicum transit instar sanguinis, relinquendo post se in fundo vasis terram aridam, nigram, spongiosam & levem; ipsum autem menstruum quod cum T. auri prodiit in B. saltem tepido per alembic. separamus, relictam Tinct. in fundo vasis cum Spir. V. tenerrimo solvimus, eundemque ternis vicibus vel etiam amplius denuo separamus. Hoc igitur est aurum Potabile, & quidem illud ipsum, quod hodie ex Angliæ habetur apud D. Francisc. Anton. Medicum Londinensem. Non illud quidem Philosophicum & verum, ab hoc enim illud multis modis superatur, ac longe aliud est, neque illud Angelicanum justissimam auri potabilis δοκιμασίαν sustinere potest, reducitur sc. & cum corpore suo denuo in gratiam redit, quod à vero auro potabili Philosophico alienum est; Cæterum potest quidem in usu Medico idem pene præstare, quod alias de auro potabili Philosophico sperandum esse censent Chymiatri, quamvis hoc agat remissius, nec exaltatis atque astralibus morbis æque medeatur omnibus.

Spiritus Vini ad hanc præparationem necessarius seq. modo fit,

 Vi-

Vinum generosum, quale est Hispanicum vel Ungaric. aliquandiu vel in fimo, vel in B. M. ejus vicario digere, per dies 14. vel septimanas tres, quatuor: postea per phialam spiritum destilla, eundemque aliquoties per eandem phialam rectifica, donec ad summam tenuitatem pervenerit: cujus libras duas misce cum recentis Vini ejusdem lib. vi. & per phialam denuo eandem quantitatem librarum nempe duarum nec plus, nec minus destillando prolice, ac ita deinceps eadem quantitate duarum nempe librarum cum recenti vini Homogeneo septies vel octies semper de novo addita, ac toties destillata lib. ii. alcoholis vini spirituosissimi ac fortissimi tandem depromuntur, reliquo Vino, ad residuos vinosiores spiritus exinde destillandos reservato. Hic vero Spiritus in vase Hermetice sigillato, asservandus est: est enim penetrantissimus & subtilissimus.

De præparatione calcis Solaris subtilissimæ vide *Croll*. p. 211.

IX. *Oleum Salis viride*. De quo *Libav. l.* 2, *Alchym. tr.* 2. *p.* 159. Sali communi, inquit, ustulato affunde *Urinam* puerorum, digere per octiduum loco calido: trajice per filtrum, coagula, solve in marmore, solutum age per retortam triplici luto munitam igne reverberii, fracto vase exime caput mortuum, tere, refunde destillatum, digere & destilla, idque potes repetere novies vel decies; vel salem sublima, solve & destilla. Nonnulli in sale soluto per raphanum extinguunt lateres candentes, ubi sat sunt poti, destillant; alii igni eliquant Salem, & in eo restinguunt lateres; salem, qui foris accrevit, abstergunt, lateres destillant, ad podagras cum oleo granorum ex ebulo.

X. *Oleum Sulphuris*; quod à nonnullis sic paratur.

℞. *Urin.* puerorum antea despumatæ lib. xvi.

Calcis vivæ recent. lib. iii. simul ferveant ad tertias, mox per filtrum excolentur, tum addentes.

Sulphuris

Sulphuris vivi optime in pulverem redacti lib. i. simul ferveant, dum medietas absumatur in vitreo vase, aut vitro oblinito, inde per filtrum percolatur, postea vase vitreo, pileoque rostrato imposito, destillat liquor, primo perspicuus, deinde oleum aureo colore.

Hoc ad nervos contractos, ad Cancrum malignaque & antiqua ulcera, & ad frigidos affectus exterius utuntur.

Vel. Sulphur ignem non expertum cum *Urina* pueri octo diebus in fimo equino calido macerato, habens deinde catinum magnum, valde cavum, in quo collocetur cucurbita ad latus, luto incrustata, quæ Sulphur continet, prius tamen instrato fundo catini cinere calidissimo, & prunæ addantur, dum tota humiditas egressa sit: addatur deinde recipiens vas, & rimæ stipentur glutine ex farina & candido ovi, linteo circumducto. Postea carbones flagrantissimi assidue supra cinerem illum calidum aggregentur, donec spiritus atque oleum egredientur, quod colligendum est, ut oleum Calchanti, & similis est usus.

XI. *Præcipitatio denique Mercurii* cum *Urina* fit sequens. Solve in duabus unciis aquæ fort. Mercurii bene purgati unc. i. solutioni adde aquæ communis calidæ ℥. iii, ac infunde postea *Urinam* hominis sani recentem, ac ejus tantum, quantum ad deliquium ipsius Mercurii requiritur; præcipitabitur hoc modo Mercurius incarnatus, qui aliquoties aqua communi edulcoratus, solum secessus movet. Dos. à gr. vii. ad xii.

In Alchymia usus Urinæ quoque est rarior: Fitque.

1. *Diana* s. aqua aurea & argentea ad metalla mutanda in aurum vel argentum: de qua *Libav. l. 2. alchym. tr. 2. p. 162.* ejus descriptio est talis: *Urinæ puerorum* duodecim annorum libras decem purifica filtrando sæpe, & decoque in aheno ad consistentiam crassiusculam. Infunde in cucurbitam firmiter lutatam satis capacem; ut tertia pars sit vacua: appone

appone alembicum cum foramine in summo & cono exemptili, ut si non tota Urina caperetur à cucurbita, possis residuum suo tempore infundere, loca in arena, pone ad fundum catini: destilla primum igne lento, donec abstraxeris aquositatem: quum videris albos spiritus discurrere per cucurbitam & adscendere, muta receptaculum, & ignem intende; Prius tamen pondera receptaculum, pondusque nota: aucto igne exibunt guttæ graves coloris punicei, quæ ne concrescant suppone rostro catinum cum prunis; destilla fortiter donec cessent. Salem album, qui in rostro coagulatur, solve; guttas, quæ exierunt, tere & pondera; adde tantundem aluminis, & Salis petræ; compone in vitro, claude; agita utraque manu; & solventur in aqua; sine quiescere; clausum vas & resiccatum loca in arenam vel cinerem, ignem lenem subjice; nam si validior est, vas frangitur, & sat multa arena intersit inter vas & catinum. Facta solutione in arena aperi vitrum, & effunde in retortam lutatam probe; appone receptaculum grande, & bene agglutina; destilla per gradus, donec receptaculum rubeat à spiritibus; intende ignem, donec cucurbita excandescat. Sine paulatim refrigescere. Serva aquam in vitro bene clauso. Quod si vis facere aquam auream, cape partem unam auri calcinati; si in argenteam, unam argenti, & duas aquæ distillatæ. Misce & in cucurbita vel retorta digere in arena per horas quatuor, cavendo, ne ullus spiritus effugiat. Ubi bene imbibit aquam Calx, sine refrigescere; transfer in arenam: adjice receptaculum beneque junge; destilla lente, ne vas frangatur. Ubi bene incaluit, auge ignem & aquâ specie spiritus cum calce soluta ascendit & exit; tandem pelle fortiter ne tamen nimium, ne dissiliat vitrum. Si tota calx metalli non exiit una, refunde aquam capiti mortuo trito; digere una, & destilla, ut ante, donec calcem totam eduxeris cum aqua; id quod experieris, si antequam destillaveris, ponderes materiam & receptaculum: Si enim destillati pondus

pondus respondet impositis, totum extractum erit.

Hæc est aqua illa aurea vel argentea, ad mutandum Mercurium in Solem vel Lunam.

2. *Cæmentatio* quoque peragitur Urina *Myl. l. 2. Basil. Chymic. p.* 34.

℞. *Urinæ* putrefactæ q. v. destilla exinde Spiritum, ut artis est, & quod sublimatur id redde destillato, extrahe etiam cum Phlegmate hujus Spiritus sensim abstracti Salem ex capite mortuo calcinato, vel reverberato, & hunc etiam simul reddito suo Spiritui & Sali volatili: putrefac hæc in B. roris, usque dum fiant unitum menstruum, quo tali modo utaris.

℞. Vitriol. Salis ammoniac. an. ℥. ß, pulverisata misceantur & super infundantur cum dicto Spiritu Urin. pone in digestione fimi vel Terræ, usque dum reddant aquam rubicundam. Hanc reserva. Nunc sume auri limati partem unam: Mercur. viv. optime cum aceto repurgati p. ii. amalgamato invicem, & reconde in vitro, ac super infunde aquæ rubicundæ, coagula duodecies, postea pulverisa, & utere pro cæmento ad Lunam.

3. *Fixatio Lunæ* per sequens cæmentum *Id. p.* 52.

Accipe farinæ laterum ℥. i. ß,
Salis fusi.
Vitriol. calcinat. an. ℥. i.
Sanguin. dracon.
Flor. æris virid. an. ℥. i. ß. His pulverisatis & mixtis superfunde *Urinæ* sale armeniaco impraegnatæ; taliter humecta species dictas, ut supra facta est mentio, & tertius cæmentationis, gradationis ac fixationis modus est in promptu: cum quo Lunam tuam cœmenta, calcina ac funde: sic habes, quod desideras.

4. *Crocus Martis.*

In *Urina* clarificata, abjecto sedimento solvuntur Salis triti M. iii. colantur, despumanturque diligenter inter coquendum. In decocto solvuntur Vitrioli triti, Salis ammoniac. ℥. iii. Coq. iterum cum despumatione. In decocto infunditur limatura chalybis

& coquitur donec indurescat & possit teri. Pulvis in sartagine ferreo plano, igni validissimo reverberatur, versaturque diligenter cum rutabulo, donec instar lucidissimæ violæ appareat.

5. *Oleum Martis.*

℞. Limatur. ferri q. v, imbibe *Vrina*, postea calcina toties in fornace reverberationis, donec impalpabilis reddatur, colorisque sanguinei, tunc pone in cucurbitam vitream optime lutatam: imbibas quoque *Vrina*, & fac destillare more aquæ fortis per horas 24. semper ignem augendo, & habebis oleum spissum rubicundissimum: Experientia istius olei: rubificentur laminæ cujusvis metalli, si extinguantur in isto oleo, statim accipient colorem auri (Sophistici.) *Myl. l. c. pag.* 254.

6. Ut aurea vasa nitorem & splendorem concipiant.

℞. *Vrin. human.* lib. x. coq. cum Sulph. ℥. v. Tartar. ℥. x. injectis in vas æneum aurum calefactum immerge, permitteque fervere, donec croceum evadat ad instar auripigmenti: inde frica setis, & ablue aqua dulci, tripolique poli. *Labav. Syntag. arcan. Chym. p.* 520.

7. Ut ferrum nimis molle induretur.

℞. *Vrin adolescent.* lib. i.
Fuliginis M. i.
Olei lini ℥. iv. Misce, coque, & in fervente jure cultros extingue, accipient aciem optime temperatam Libav. lib. cap. p. 231. aliud habet idem p. 232. Vermes maji & lumbrici terrestres, tunduntur, exprimuntur: succo additur verbenæ cum aceto tritæ expressio, cum pari omnibus *Vrina* virili: In hac mistura ferrum restinguitur: mirumque est tam firmam rem Naturæ recipere temperamentum, & oleo aliisque pinguibus leniri & lentescere.

7. *Chrysocolla* ea paratur: *Reusner. p.* 307.

Hac utuntur ad auri glutinationem. Fit autem figura phiali, confecto mortario ex ære rubro, habente pistillum ejusdem materiæ; in quod meiente pue-

ro pistillum circumages identidem, ut non tantum à mortario quid abradat, sed etiam à sese nonnihil deterat, id quod pluribus deinceps diebus peragitur: donec Urina crassitudinem adsequatur mellis. Faciendum vero id in Sole; nam facilius in aere, ejusmodi ab ære quid deteritur; aut si Sol absit, calidas esse ædes saltem convenit. Hoc medicamento misto iis, quæ curandis ulceribus rebellibus sunt idonea, utimur, ceu optimo.

7. *Salis ammoniaci s. armoniaci* confectio; quæ multiplex est.

Andreas Cæsalpin. l.1. de Metall. c.20. hanc ponit.

℞. Partes quinque *Urinæ humanæ*, & partem unam Salis communis, & partem dimidiam fuliginis linorum, his simul coctis usque ad consumptionem humiditatis, reliquum sublimatur in Salem ammoniacum, hunc iterum in sudorem dissolvunt, & congelant, & à sale communi sublimant, & est optime præparatus.

Untzer. in Physiolog. Salis p. 65. tres hoc perspicuos parandi Salem armoniacum habet modos.

1. Sit tibi in promptu primo sufficiens quantitas *Urinæ hominis* vinum bibentis, immitte illi calcem vivam, probeque hæc duo invicem agita. Postea in hoc lixivio, antea bene percolato, dissolve Salis communis fusi, & tenuissime triti, quantum vis: Posita in aheno, humiditatem ad lentum ignem sensim evaporare sinito, usque ad pultis quasi consistentiam; affunde rursus prius lixivium, & tamdiu illud coque, donec materia sicca remaneat: Quæ lixivii reaffusio, & tertio repetenda. Quando autem ebullierit ad dimidiæ partis consumptionem, tunc indatur cucurbitæ cum alembico superimposito, & humiditas omnis per destillationem abstrahatur, abstractus liquor denuo adfundatur, & destillatione ad siccitatem usque extrahatur. Qui labor & tertio reiterandus, & sic tandem in fundo cucurbitæ tibi restabit Sal quidam, albi subcinerei coloris, qui Ammoniacus dicitur.

2. Vel. ℞. *Urinæ pueri* lib. x. adde salis communis

munis partem dimidiam, Misce ad ignem in olla, & solve: adjice fuliginem, effunde in vas, & sine coagulare. Coagulatum transfer in ollam operculatam cum foramine in summo, bene obsigna luto, colloca in fornacem & coque: ubi videris exire fumum album, foramen claude, & ignem intende per 2. horas; refrigeratum tandem exime.

3. Antverpiæ ita hodie componi solet.

℞. Salis communis optime torrefacti lib. x. superfundantur *Urinæ* prius optime filtratæ, & per destillationem abstractæ libræ totidem, adjiciendo simul fuliginis Camini, M. ii. Lixivium hoc tamdiu coquatur, donec pultis consistentiam acquirat: Materia huic denuo libras decem Urinæ affunde, eamque per ebullitionem evaporare sine, idque adhuc bis reiterandum, donec 40. libræ urinæ absumptæ fuerint: Facta & peracta ultima coctione, tandem materia pultis consistentiam nacta, conjiciatur Catino superius lato, inferius acuminato & angusto, insuperque vitreato, & ad lentum carbonum ignem residuam humiditatem perfecte vaporare finito; sicque Salem Ammoniacum optimum habebis.

Vide *Libav. Syntagm. arcan. l.* 8. p. 464.

8. *Salis Nitri compositio*, & purificatio sive exaltatio. Sic enim *Untzer. loc. c.* p. 75. Loca, in quæ *Urina humana* crebro effusa est, apta sunt ad præparationem Nitri. Hinc & Libav. dicit nonnullos vocare salem petræum ex quavis Urina collectum salem.

Libav. Syntag. p. 469. hanc ponit Nitri præparationem, quam quarti gradus esse dicunt. Halonitrum pulverisatum, & secretum per cribrum prima vice solve *urina* vinipotæ, cola, coagula. Secunda idem perage affuso vino, tertia aceto, quarta vino stillaticio, in quo si nolit consistere, adde Urinam vinipotæ, & Salem: Coque ad regulam & concrescet.

LUDUM URINÆ.

Hoc nihil aliud est, quam sedimentum illud Tartareum, quod & fundum occupat, & simul matulæ adhærescit, quod nec ipsum suis destituitur facultatibus. Utimur eo vel simplici, vel præparato.

Simplex illud adhibemus teste *Reusn. p.* 107.

1. In Erysipelate, si eo locus affectus foveatur.

2. Mixtum cum oleo salic. & probe contemperatum mundificat palpebras, aufert cicatrices oculorum & assimilat carni vicinæ.

3. Mitigat dolores uteri, & suffocatis ab Utero succurrit.

4. Calculum pellit, sic enim in *Thesaur. Evonymi p.* 41. legimus: Ego nuper audivi Empiricum quendam calculos vesicæ in quibusdam curasse cum borace mixta aqua ardente ad spissitudinem fere mellis, admixto etiam tartaro, aut fæce urinæ è matula: debebat per quatuordecim dies hoc medicamento uti, ita ut semper parum ejus bibendo vino, etiam in prandio & cœna admisceretur: Si materia hæc exsiccata in vas aliquod vitreum indatur, & Spiritus Vini affundatur, bene contecta & munita in loco calido stet, tunc exinde subtilissima natura extrahitur, & spiritui Vini communicatur: sic melius resolvit expellitque Tartarum.

Præparatur vero ex Ludo hoc oleum sequenti modo.

℞. Ludi q. p. sicca, & in crucibulo ad albedinem calcina, deinde in Porphyr. tere, & in loco frigido pone, sic abit in oleum; quod magnarum est virium. De eo ℈. i. cum aq. aliqua appropriata mixtus & propinatus exhibetur contra calculum. Tartarum sive in Renibus, sive in Urina solvit. Hocque medicamentum Paracelso dicitur Potentivum: Exinde idem aliud acuativum sequenti modo parat.

℞. Terebinh.

Ol. lini. an. quartam unam, destillentur his, fiat cohob. cum his.

℞. Ocul. cancr. lapid. lync. spongiæ.
Olei Ludi ol. lin. an. ℥. i.
Saxifrag. ʒ. ii. M. quo locus affectus intingendus. Tandem concludo præsens caput de Urina. Quum Urina tot & tantos habeat affectus, non mirum, quod Veteres Imperatores interdum vectigalia ex Urinis fecerint, quemadmodum refert Suetonius de Vespasiano; quem Tito ipsum reprehendenti, odorandam pecuniam ex Urina vectigalibus exactam porrexisse scribit, & poposcisse, num male oleret; quod ipso negante, ait, atque ex Urina venit. Hinc Symbol. ejus.
Lucri bonus odor ex re qualibet.

CAP. X.

DE STERCORE HUMANO.

Corpus nostrum, ut à Neotericis quid mutuemur, duplex intra sese fovet excrementum. Internum scil. & connatum; & externum sive adventitium. Interna excrementa sunt impuritates tribus principiis intrinsecis ipsique Balsamo animali à prima transplatione radicaliter & inseparabiliter adhærescentes, quæ Spiritibus mechanicis subjacent, sed digestis temporibus opportunitatem nactæ, in actum erumpunt, & spirituum imperium eludunt; dicuntur sal sive excrementum humanum, *Sal naturæ*. Externa, sunt excrementa rerum naturalium, mucilagines nempe impuræ Tartareæ & Sulphureæ, quæ principiis ipsorum elementorum, seu Balsamo radicali vegetabilium & mineralium, quo noster Balsamus restauratur, pertinaciter cohærent: Nutrimur enim non solum ex animalibus sed etiam ex vegetabilibus, & resolutis mineralium spiritibus, qui primum sunt omnis generationis, nutritionis & augmentationis fundamentum. Inter hæc restat Sulphureum illud & fœtidum, quod à Natura per occidentalem corporis regionem ejicitur; postquam enim cibus dentibus contritus in ore alteratus,

teratus, motu linguæ, gulaque hiante detrusus, & per gulam in Ventriculum dimissus, ab eodem per retentivam facultatem ministerio obliquarum fibrarum arctissime complectitur, & eousq; retinetur, donec omni ex parte à facultate Ventriculi concoctrice, propriaq; ejus substantia, adjuvante tamen & partium adjacentium calore, concoctus & elaboratus sit, tandem in unam formam ac massam ptisanæ Cremori haut absimilem, quæ Chylus dicitur, mutatur: Hic per orificium inferius emissus, ab intestinis primo abripitur, & à concoctrice illorum nonnihil adhuc elaboratur: Quum vero materia hæc sit Heterogenea, partesque obtineat diversas, quasdam, à Natura in utile alimentum mutandas, quasdam, quæ mutari nequeunt, è corpore extirpandas, sequestratio instituitur exacta, succusque laudabilis pro ulteriori elaboratione per venas Lacteas ad Pancreas, hincque ad Hepar: excrementitius vero & crassior pars per alvum non sine fœtore ejicitur: Hunc fœtorem Steeghius naturalem dicit esse excrementis, propter partium densitatem, quibus continentur: calida enim & humida dum concluduntur & obstipantur, fumos statim colligunt fœtidos: mediocres, dum alvi calor naturalis vincit; plures, quando is est nimius, seu præter naturam: veluti in Putredine, unde ei fœtor socius. Humor autem crudus dum egeritur, non subactus à calore, caret fœtore; faciunt tamen huc non parum ea, quæ assumuntur, quorum alia aliis fœtentia magis generant excrementa: dicitur aliis *Sulphur fœtidum* quod & flammam instar Sulphuris concipiat, & quid pingue in se contineat, deinde quod insignem obtineat fœtorem; aliis *Zibetha occidentalis*, partim, quod rite instituta digestioni fœtor ille auferri & laudabilis ei conciliari possit odor, tum quod ex occidentali corporis parte proveniat naturaliter. Nam naturalis Locus per quem emittitur hoc excrementum est alvus, at per alia quoque loca rejecta esse notarunt Medici: Coloniæ puellam viginti annorum tertio quoque

die

die alvi excrementa per os evacuantem, idque ultra triennium continuasse vidit *Posthius* & *Rodericus à Vega*, *l. 6. de loc. aff. p.* 459. per umbilicum sordes has expurgatas observavit. Vide *Cardan. l.* 18. *de Subtilitat*, *Alexand. Benedict. l.* 20. *c.* 34. *Marcell. Donat. l.* 5. *c.* 4. *p.* 575. *Schenck. l.* 3. *de excrem. p.* 450. *& seq.*

USUS.

Hujus sane excretio, ut maxime necessaria est homini, quum sit excrementum, non tamen plane abjectum censendum, nam adhuc vim ac facultatem quandam obtinere testantur porci, alimentum ex eodem quærentes,

Internus quidem ejus usus non adeo delicatus, & commendatus, licet non tantum præparatum, sed & crudum à nonnullis commendetur.

Novi quendam, qui ex hujus Balsami fœtidi usu ab Icteritia tridui spatio se convaluisse, testabatur.

Joannes Anglic. in Rosa Angl. accipit Sulphur hoc occidentale, desiccatum & pulverisatum ad ʒ.ii. & cum melle Vinoque ante Paroxysmum febrilem propinat, huncque tridui intervallo profligari asserit.

Externe tamen eo usi sunt jam Galeni tempore; sic enim ille *l.* 10. *de simpl. medicam. facult.* Quidam, inquit, assidue Phlegmone ad guttur existente, vexabatur adeo vehementer, ut suffocationis subiret periculum, unde sanguinem mittere coactus: in hunc cum forte quis incidisset, pollicitus est, se exhibiturum medicamentum expertum, seque ante sanguinis missionem accersi jussit, si quando rursus aliqua in parte gutturis emicuisset Phlegmone: Hic vocatus medicamento illito statim hominem curavit; alter vero, cui idipsum communicatum erat Galeno quoque manifestavit. Erat autem *stercus pueri*, qui per biduum lupinis cum optimo pane satis fermentato, nutritus erat, cum melle Attico ad lævorem tritum.

Ad

Ad ligatos & maleficiatos à mulieribus hoc habet *Wecker. de secret p. 107, & 254.* Si in amantis calceum stercus amatæ ponatur, ubi odorem senserit, solvitur amor: nam odiosa est hæc res, & ab Ovidio diducta in l. 1, de Remedio amoris.

Ille tuas redolens Thineu medicamina mensas,
Non semel est stomacho nausea facta meo.

Adversus *nævos seu maculas Originales*, quæ variæ sunt, memini à mulierculis commendatum excrementum illud nigrum, quod infans recens editus primo per podicem ejicit: si emplastri modo imponatur: & illud annotat quoque *Weickard, p. 621. & Topp. l. 1. Thes. med. p. 188.*

Fœtor ejus naribus attractus matutino tempore, præservat à *peste*, referente *Munderero. medicin. militar. p. 125.* & confirmante id experientia.

Hoc odore s. potius fætore moschus, si ipsi ob vetustatem de odoris suavitate multum decesserit, in sacculis ligatus ad latrinas appensus vi fœtentis antiperistaseos odoris augmentum recipit, quamvis deinceps odor durabilis ac constans non sit. *Catelan. de confect. alcherm. c. 11.*

Imo si Coralia colorem suum quavis etiam de causa, amiserint, facilime latrinis appensa, eundem recuperant.

Sed & cum aliis idipsum miscetur.

Experimentum Penceri contra *Anginam* tam veram, quam notham notat *Weickard. seq. p. 133.*

℞. Stercor. canin. albiss. exsiccat ℥. ß.
Excrementi alvi de puero exsiccati ℥. i,
Stercor. aut Nidi Hirundin. ʒ. ii,
Glycyrrh. pulveris. & cribrat. ʒ.i. ß.
Sach. cand. ʒ. iii. Misce & fiat pulvis subtilissimus, subigatur cum Syrupo violar. aut melle rosac. colato, exhibeaturq; in forma Eclegmatis.

Idem p. 537. In *Cancro* inunctionem hanc componit efficacem.

℞. Succi plantag. bursæpastor.

Nicotian.

Nicotian. Solan.
Acti rutac. an. ℥. iv.
Ol. rosac. ℥. ii.
terebinth. ℥. i. ducantur in mortario plumbeo: adde Pulver. lythargyr. ℥. ß.
lapid. hæmatit. ʒ. ii.
Antimon. crud. ʒ. i.
Corall. ustor. & lat. ℈. ii.
Perlar. ℈. i.
Camphor. ℈. i. ß.
Cancorum fluviatil. ʒ. i.
Stercor. humani in furno exsiccati & usti ʒ. iii.
F. l. a. Unguentum.

Ex Nicolao Rocheio sequens ponit Corbejus pag. 312.

℞. Herb. Robert. Verbasc.
Scabios. caprifol.
aneth.

Stercor. human. an. equal. part. combur. in cinerem; ejusque cineris ʒ. iii. cum liquore stillaticio Solani ℥. vi. contempera pistillo in mortario ejusque misturæ aliquid ulceri cancroso infunde. est Expertissimum.

" Non caret admiratione illud, quod habet " *Sebastian. Munster. l. 4. Cosmogr. sub titulo de Lapponea.* Incolas sc. ejusdem loci variis technis uti, " ad sistendas in cursu medio naves; eorundem tamen conatum impediri, si *Stercore virgineo* navis " internæ & externæ partes inungantur: illico enim " priorem repetere navem cursum. Spiritus enim navim quasi sistentes & tenentes, fœtore fugari scribit.

" Præparatur vero ex Stercore H. Aqua & oleum " seq. modo.

℞. *Sulphur. occidental.* Microcosmi juvenis non pueri, sani non morbosi q. pl. exsiccetur in aere vel furno, lento tamen igne, postea per cucurbitam destillal, igne primum lento, sic prodibit Phlegma; tandem cum aliis spiritibus oleum, si urgeatur; utrumque per Balneum rectificetur.

AQUA

AQUA.

Hæc oculorum tollit panos & ungues: reliquis etiam passionibus tunicæ conjunctivæ s. annatæ sæpe obvenientibus medetur, si guttula una vel altera instilletur, faciei quoque conciliat colorem; pili augmentum inde recipiunt, si locus hac continuo lavetur, ulcera curat corrosiva, sinuosa, exedentia, *Matthiolus l. 2. in Discor. pag. 73.* fistulasque, *Weickard. p. 574.* cicatrices manuum removet, ut habet *Plater. tr. 3. p. 394.* Intus sumptam prodesse " aiunt Comitialibus, Hydropicis, lapidemque re- " num & vesicæ pellere idem *Matthiol. d. l.* insuper contra morsum canis rabidi, venenatorumque animalium præstans est. Cancrosa loca non sine fructu ea levantur *Weic. p. 537. Corbejus p. 313. Plater, tr. 2, p. 847.* Bubonibus gulæ adversatur ex Cardano *Wecker. de secr. pag. 201.* Valet & contra induratos tophos *Weickard. p. 501.*

OLEUM.

Hoc capitis tineas pellit, erysipelas exulceratum, carcinomata *Matthiol. d. l.* lichenes, impetiginesq; saltem illitum curat; podagricis doloribus subvenit, cancrum curat, eundemq; mortificat. *Libav. l. 2. alchym. p. 142.* & *Syntagm. arcan. pag. 413.* optimum est in ulceribus *Plater. de dolorib. p. 947. Scheunemann. l. de morbo Sulphureo cagastrico.*

In eodem aurum signatum, pondere suo depravatum extinctum, pristinum pondus vel etiam majus recuperat *Mizald. c. 1. §. 12, Paracel. in Maurali 2. p. 57.* qui " & affirmat hoc accensum non consumi in æternum, " piscesque in aqua omnes inde congregari. Alii hu- " jus beneficio Mercurium coagulant: nam durum " instar Jovis evadere inde Mercurium scribit. *Fal-* " *lop. l. 3. de secret. p. 193.*

Zibetha Occidentalis. fol. 62.

"Tandem ex Sulphure hoc fœtido ZIBETHA
" conficitur, occidentalis dicta, quæ suavissimo o-
" dore non cedit Orientali: legitima saltem ejus in-
" stituatur digestio: sic enim & Opium alias fœti-
" dissimum, ob immaturum Sulphur quod in se
" continet, convenienti digestione fœtorem suum
" immutat, & fragrantissimum emittit odorem.

Utrum vero præparationes, & subtiles insitiones in terram ex stercore elicitæ quid præstent, penes eos fides esto, qui experientia sunt suffulti.

Purgationem vero Magneticam & secretam, qua absentes beneficio hujus Sulphuris fœtidi purgari possunt, vide l. 2. c. 6.

CAP. XI.

DE PEDICULIS.

QUum vilissima hæc animalcula à nonnullis quoque in Medicæ usum trahantur, optimo jure pauca de iisdem notanda sunt, quædamque non minus jucunda quam utilia præmittenda.

Familiarissimum quidem & omnibus notum Capita hominum à pediculis infestari, de quo *Rondelet. meth. cur. morb. p.* 18. *Forest. l.* 8. *obs.* 14. *Hollerius pag.* 453. & alii. Rarius vero est, imo rarissimum, quod universum corpus ab iisdem infestetur: Innuere id videtur *Gal. l.* 11. *de simpl. medicam. facul.* dum ait. Quibus ergo affatim sunt mali succi in corpore, iis ingens provenit pediculorum numerus. Et confirmare id illorum exempla videntur, qui & ad interitum usque, ab iisdem excruciati sunt.

Historiæ eorum vel ex Veterum, vel ex Neotericorum scriptis sunt desumptæ.

Rhodigin. l. 14. *lection. antiq. c.* 13. ex Aristotele, Plinio & aliis testatur, Pherecidem huic morbo expositum fuisse, ad quem cum visendi gratia Pythagoras

thagoras discipulus advenisset, ac quonam pacto haberet, sciscitatus esset, immittens is digitum per januam, inquit: χρὼς δηλοῖ: ex corpore palam est,

De Sylla Tyranno eodem morbo perempto sic habet *Q. Serenus.*

Sylla quoque infelix tali languore peresus,
Corruit, & fœdo se vidit ab agmine vinci.

De Speusippo Eurymedontis filio Philosopho Atheniensi: Acasto Peliæ filio: Mumio Jurisconsulto, & Platone Philosopho idem refert Plutarchus. Antiocho id quoque accidisse ex historia sacra docemur.

Honorificum Vandalorum regem, quum octo annis Christianam religionem insectatus esset, pediculari morbo extinctum testatur Volateranus.

Arnulphum Imperatorem post Carolum Crassum, cum ad templorum spoliationes animum convertisset, pediculis consumptum interiisse authores sunt, Baptista Egnatius Platina, Paulus Æmilius, & alii.

Recentior est historia, quam habet *Amat. Lusitan. Cent.* 3. *cur.* 58.

Novimus, inquit, hominem Olyssiponæ non ignobilem, qui ex Phthiriasi miserrime obiit: ita enim, per universum ejus corpus pediculi scatebant, abundabantve, ut duo ejus servi Æthiopes nihil aliud curæ haberent, quam ex ejus corpore pediculorum cophinos plenos ad mare, quod prædictam civitatem præterlabitur, portare. Erat autem homini huic cognomentum, si recte teneo, Tabora: dicitque ibidem apud Hiberniam & Islandiam homines semiferos subuculis croco infectis vestiri, ut pediculos fugent quas per sex menses & amplius gestare solent.

Admirandum sane quod ex Diodoro Siculo rerum antiquarum lib. 4. de Acridophagis gentibus notat Donatus, de medica histor. mirab. p. 59. Propinquante senecta pediculos alatos, non solum visu varios, sed specie horridos ac turpes in corporibus nasci, ventrem primo, tum pe-

ctus,

ctus, deinde totum corpus parvo tempore exedere. Qui morbum patitur primum, veluti scabiei cujusdam pruritu allectus, corpus scalpit, voluptate simul & dolore perceptis, deinde exeuntibus pediculis simul effluente sanie, morbi acerbitate, ac dolore percitus unguibus corpus magno cum gemitu lacerat: tanta vero vermium copia effluit, aliis super alios, tanquam ex perforato vase scaturientibus ut deleri nequeant, hoc pacto sive cibi, sive aeris cassa miserum sortiuntur vitæ finem. De Pediculis alatis vide ex Mercuriali *Tardinum in Physiolog. pilor. pag.* 94.

Usum seu finem generalem ponit *Averrh.* 12. *metaph. comm.* 18. eos sc. dari à Natura, ne ipsa otietur: sed magis particularem adsignat *Q. Serenus c.* 5. inquiens.

Noxia corporibus, quædam de corpore nostro
Progenuit Natura volens abrumpere somnos;
Sensibus & monitis vigiles intendere curas:
Sed quis non paveat Pherecydis fata tragædi, &c.

A nonnullis commendantur tres vel septem in cera obvoluti & sic deglutiti contra Icteritiam, monet tamen *Pansa in Pharmac. privat. p.* 184. eos primum necandos esse, cum quidam vivos eos deglutierit, postmodum vero iidem in corpore aucti ventrem & intestina eroserunt, ut miserrime homo ille obierit. Valent & ad febres fugandas. Alii sunt qui eosdem adversus Urinæ retentionem assumunt, nec reformidant eosdem.

Duretus in annotat. Holler. pag. 453. hoc ex illis desumit Prognosticum. Qui alopecia aut Ophiasi, aut achore laborant, non habent pediculos: quod si ii supervenerint, signum est adventantis, & jam restitutæ pristinæ valetudinis.

CAP.

CAP. XII.

DE LUMBRICIS.

VT in Macrocoſmo plurimi generantur Vermes in locis cœnoſis ex putri materia, ita & iidem in Microcoſmo in partibus cavis, raris, calidis & humidis proveniunt: varii iidem ſunt. Inpræſentiarum duntaxat de Lumbricis agam, & quid circa illos tum ratione ſignorum, tum remedii exinde petendi occurret, proponam. Qui mirandas lumbricorum ſpecies cognoſcere cupit, conſulat *cap.26.l.4. donat. Rondelet. Plater. obſ. l. 3. p.289. Holl. Cl.Senn. tr. 3. prax. cap. proprio & alios.*

Nonnunquam lumbrici longi ac teretes ſurſum eniuntur, ac per os, nareſque erepere conſpiciuntur, quod à nonnullis prodigii quiddam ſimile viſum eſt, quum id inſito quodam Naturæ motu facere ſoleant, ſi quando homo diutius jejunus perſtiterit; tunc enim ſtomacho morſus inferunt, ciboque expleri cupiunt; quibus cum nihil objiciatur, quo ali vitamque tueri poſſint, in ſublime feruntur, cibumque ad gulæ uſque meatum venantur. Sentiunt enim ſagacitate quadam Naturæ per illas partes in Ventriculum delabi alimenta, & cum nares perviæ ſint, atque ad gulæ tramitem ſpectent, eo quoque ſe conferunt, factaque titillatione, vel ſternutamento ejiciuntur, vel primoribus digitis prehenſi eximuntur. Quod quidem in ſanis multoties accidit.

In ægrotantibus vero ſi id contingat, non abſque imminentis mali præſagio fit. Tanta eſt enim in hujuſmodi corporibus contagio, eaque putredo, atque humorum inflammatio, ut exitialem vim morbi perferre nequeant; itaque erumpunt foras, ſed morbi ſævitia, non Critice, nec naturæ vi incitati. Interim tamen ſemel obſervatum à me hic Regiomonti in puero quodam annorum circiter quinque; cui graviſſime decumbenti, & jamjam animam agenti,

agenti, cujus & parentes omnia circa defunctum necessaria parabant, ingens lumbricus vivus paululum in ore apparuit, mox vero ab astantibus totus extractus, puer ille statim quasi ab Orco revocatus, bene sese habuit, & pristinæ restitutus fuit valetudini.

USUS.

Macrocosmi quidem lumbrici præparati, omnis generis Vermes Microcosmi proprietate quadam occulta, expellunt. Num vero idem præstent lumbrici à puero jam depulsi, rursumque exsiccati & exhibiti, asserere non vult *Finck. in Encheirid. pag.* 145. propterea, quod *Tabernemont. in Herbar. german. lib.* 1. *cap.* 5. testetur ex his ipsis arefactis, & sem. santonici exhaustis, certo vermes generari: hancque fraudem & imposturam Agyrtarum & Histrionum execrandam & detestandam esse dicat.

Verum aliud experientia docuit: aliud quoque experientissimi Naturæ consulti literis prodiderunt; inter alios vero sequentium testimonia adfero.

Levinus Lemnius l. occult. pag. 132. hæc habet.

Multa sunt, quæ lumbricos exigant, perimantque: sed nihil efficacius exsiccatis in tegula ignita vermibus, exhibitoque illo pulvisculo verminantibus, confestim reliquos inhærentes corpori dejici continget.

Pareus l. 9. *Chirurg. c.* 5. inquit.

Cape Vermes, qui jam excreti fuerint, vel sponte prodierint, siccentur in patina ferrea candente, in pollinem redigantur, cum Vini vel alio liquore convenienti exhibeantur per os, reliquos vermes prompte necare creduntur.

Idem habet *Gabelcoverus* p. 260. *Henric. Petræus tr.* 2. *Nosolog. p.* 145.

At *Mylius lib.* 7. *Basil. Chym. pag.* 47. scribit: Præcipuum & omnium facillimum adversus vermes remedium parari, ex lumbricis, quos infantes per

anum dejecerunt: qui vino albo prius sunt lavandi, deinde in ollam vitreatam indendi, & olla optime lutata in furno, in quo modo panificia cocta fuerint, adeo exsiccandi, ut in pulverem redigi queant: de hoc pulvere sic parato exhibe ʒ. i. ad summum, vel per se, vel cum jusculo & vino, & mira inde colligentur. Quidam tamen à metu hujus pulveris, ne aliquid de vermium seminario remaneat, seq. die propinant diaiurbith cum Rhab. sic in totum eorum fieri expulsionem affirmant.

Vel. ℞. *Pulver. lumbric. Microcosm.* præparator. ʒ. iii.
Corn. C. præparat.
Spod. corall. rubor.
Sem. acetos. an. ℈. i.
Coriandr. præpar. ℈. ii. Misce Dosis ʒ. i.

CAP. XIII.

DE SPERMATE.

SPERMA est succus à testibus elaboratus, ut tandem principale constituat generationis principium. Testes quippe propagandæ speciei destinati, instar reliquarum partium attrahunt id, quod in massa sanguinea sibi magis est familiare, idque in vasorum involucris elaborant, spiritu vivifico, proximo facultatis generatricis subjecto, futuroque materia complantati, singulorum membrorum perfundunt. Tale ab utroque parente in Utero materno permistum semen varias ibidem subit alterationes, elaborationes, ut in perfectum denique abeat fœtum. Hujus dignitas sive majestas ad generationem hominis destinata, non potuit quibusdam in Naturæ arcana irrumpentibus persuadere, quin ex eo universalem illam Lapidis Philosophici Medicinam olim confectam esse jurejurando contenderent: magnum certe impietatis & perversissimæ persuasionis argumentum,

Nec desunt, qui ad alios usus idem præparant, non inutiles quidem, sed abominabiles tamen: ex eo enim parant MUMIAM MAGNETICAM, hominem aut alia animalia, quibus talia exhibentur in amorem indissolubilem erga eum, ex quo Medicina illa desumpta est, rapientem.

Quod si Impotentia virilis, incantationibus, ceu sæpe à personatis diabolis fit, vel aliis quibusdam ludicris rebus, Satanæ ope efficaciter operantibus, ligatis sc. membris ad generationem à Natura factis, introducta, perfecte tollenda sit, finem optatum se adsecuturum non desperabit, si sperma recens, nec aeri expositum in Ovo sorbili cum pulvere macis diligenter mistum ejusmodi ligaturam passo exhibuerit, mirifice omnem etiam inveteratam tollit, virumque ad procreandam sobolem habilem reddit. Successus in quodam Nobili Gallo aliquando fuit exoptatus.

In alios porro usus tam bonos, quam malos, Sperma hoc trahi non est dubium; sed quia talia summam redolent impietatem, non immerito silentio hic omnia involvimus.

CAP. XIV.

DE SANGUINE.

Coctione prima, ut supra dictum, in Ventriculo feliciter peracta, chylus ibidem confectus, & à crassioribus fæcibus depuratus, illico beneficio Lactearum venarum ad Pancreas, tandem ad Hepar defertur; innataque Hepatis vi in sanguinem transmutatur (sive effundatur succus ille in substantiam Hepatis, sive Hepar vim suam per venas illas graciles ac tenuissimas exerat.) Hujus portionem Hepar sibi aliquam, ut ea nutriatur, assimilat: residuum per venam cavam ejusque infinitos ramulos in totum corpus, omnesque partes distribuitur. In vena Cava adhuc magis perficitur, sanguisque purior redditur. Qui tamen, dum in Ve-

nis adhuc continetur, non plane Homogeneæ est naturæ, sed diversas obtinet partes: quum enim universæ partes chyli, qui est materia sanguinis, non plane ejusdem sint Naturæ, sed aliæ magis temperatæ, aliæ aliis calidiores, aliæ frigidiores, aliæ ficciores, aliæ humidiores, etiam massæ sanguineæ, non eandem obtinebunt naturam, etiamsi omnes sub formas sanguinis contineantur. Hinc & diversa sortiuntur nomina; pars enim temperatior & optima in specie dicitur Sanguis: calidior & ficcior Biliosus, frigidior & humidior, Pituitosus; frigidior & ficcior, Melancholicus: ex qua massa, tanquam ex Penu, singulæ partes sibi familiare trahunt alimentum.

USUS

Hic duplex dari potest: alter est *Internus*; dum sc. Natura ipsa in corpore eo utitur pro alimento: alter *externus*, quo Medici, tum ut exinde signa quædam hauriant, tum ut medicamentum inde concinnent: de hoc agendum nobis erit.

Primum itaque ex sanguine è Vena secta detracto desumuntur *significationes* nonnullæ, quas paucis *Franc. Joel. lib.* 4. *s.* 5. annotavit: ex quo sequentia deponere volui: Etsi sanguis dum adhuc fluit, & calore suo est imbutus, simplex & unicus humor apparet, tamen ubi refrixit, & congelatus est, hæ quinque partes ab invicem segregantur, & singulæ in singulas suas secedunt regiones. Bilis flava sanguinis concreti tenet superficiem. Humor Melancholicus in fundo subsidet. Sanguis autem rubens & Pituita pallidior medium Cruoris locum obtinent, serumque his omnibus supernatat.

Ut autem varietas & vitium sanguinis commodius dignosci queat, sanguis in Venæ sectione ad minimum in tres pelviculas stanneas aut vitreatas tersas ac mundas excipiendus est, in primo sc. medio & profluxionis ultimo tempore: Sanguis primum

exsiliens è Vena proxima, significat de partium incisarum tantum, & in eis contenti sanguinis constitutione. Qui in medio fluxu excipitur, sanguinis qualitatem in Venis majoribus contenti ostendit. Qui vero ultimo loco excipitur, viscerum, Hepatis scilicet & Lienis crasin & constitutionem indicat.

Præcipue autem tria in Sanguine consideranda. Substantia, color & admixta.

1. Substantia cruoris è salubribus corporibus detracti, ubi concreverit, debet esse moderata, non crassa, aut tenuis; non torrida, siccave aut diluta, sed moderate concreta; non divulsa, nec nimio sero perfusa, sed proportionaliter tantum conspersa, colore rubea, nullo tetro odore imbuta, & sapore dulcis.

2. Sanguis in superficie siccus & retorridus; nullo prorsus humore perfusus, siccam Cordis temperiem à præternaturali calore ostendit.

3. Sanguis crassus, lentus & tenax, pituita crassa & viscida corpus refertum indicat, unde obstructiones metuendæ, quas comitatur putrefactio & febris.

4. Tenuis vel non dilutus Sanguis, qui non concrescit, corpus humoribus repletum, & omnes fibras in sanguine esse corruptas & direptas monstrat.

5. Sanguis, qui non facile finditur, crassus est, & tenax & Pituitæ lentæ abundantiam docet.

6. Sanguis è contra, qui facile finditur, tenuis est, & plus justo aquosus.

7. Sanguis, qui fissionem non patitur, sed statim ubi attingitur in partes discerpitur, putrescere omnes humores in venis ostendit.

COLORES quoque sua habent documenta.

1. Rubicundus, & per superficiem æqualiter floridus color durescentis sanguinis boni & saluberrimi est index.

2. Citrinus color bilis flavæ exuberantiam in sanguinea massa prodit.

3. Ad albedinem vergens color, redundantiam Pituitæ naturalis ostendit.

4. Lacteus color sanguini admixtus nativi coloris extinctionem signat, mortemque præsentem minatur.

5. Niger, lividus aut plumbeus color, atræ bilis, & putrefactionis index est.

6. Varii coloris cruor variorum humorum confusionem in sanguinea massa ostendit, quod si contactu cruor resolvatur in partes exiguas, extremam putredinem humorum in venis declarat.

Denique admiscentur sanguini varia, quæ etiam nonnihil indicare videntur.

1. SERUM. vel aqua albicans, concreto sanguini innatans: vel Hepatis inbecillitatem & refrigerationem, ut in Hydrope: vel renum attractricis facultatis debilitatem, obstructionemque ut in calculo, vel multam potus ingurgitationem ostendit.

2. Aqua citrina cruori innatans, bilis flavæ ex sanguinea massa non sufficientem segregationem ab Hepate, & præternaturalem ejus constitutionem arguit.

3. Spuma cruori concreto adhærens, aut fervorem & incendium, aut agitationem vehementem à flatulentis spiritibus in Venis inclusis, ejus humoris, cujus colorem refert, commonstrat, ut, spuma rubra sanguinis, citrina, bilis flavæ, alba, Pituitæ: livida & subnigra, Melancholiæ.

4. Bullæ magnæ per superficiem cruoris, adulterinos spiritus in Venis inclusos arguunt.

5. Granula, aut arenæ, si in fundo pelvium in cruore deprehendantur, lepram aut elephantiasin, aut morbum gallicum designant.

6. Pinguedo, aut adiposa materia per summam cruoris partem diffusa, quæ obducta est pellicula, aranearum telis simili, in obesis corporibus nihil insoliti, in macilentis autem adipis colliquationem & macorem totius corporis innuit.

Hisce addimus, quâ cognoscenda lepra sit, quod sequenti instituitur modo.

℞. Sanguinem hominis suspecti, impone ei Saturnum pulverisatum, qui si supernatat, suspicionem solvit; sin minus, eandem confirmat, tum enim Lepra, vel est in via, vel jam totum corpus pervasit.

Vel. ℞. Ovum recens, impone in vasculum aliquod, instituatur Venæsectio super illud, quod si ovum fuerit instar cocti, leprosum proclamabis hominem, sin crudum appareat, sanum dices.

Hactenus de significationibus Sanguinis: sequitur *Usus Practicus medicinalis*.

Utimur vero, vel Crudo vel Præparato.

Circa Crudum sanguinem quæritur: *Virum in potus ad Epilepsiæ aut etiam alterius morbi curationem quid conferat*.

Fuerunt enim non tantum olim nonnulli, inter quos *Hollerius pag.* 92. *Mizald. Cent.* 3. §. 21. *Wecker. de secr. p.* 142. Orpheum & Archelaum proferunt, qui morbo comitiali lapsos confestim liberari à convulsione dicebant, si ex quacunque corporis humani parte labra epilepticorum irrigarent. Immo novi hic Regiom. civem quendam, qui suasu mulierculàrum adamante cutim aperuit, & sanguinis promanantis guttulam unam atque alteram filiolo suo Epileptico exhibuit: at miserrimo exitu!

Sic Didymus Medicus extracto sanguine è pedis pollice labra epileptici inungebat.

Ætius tetrabil. 2. *serm.* 2. *Cap.* 15. inquit. Si magnum pedis ægri digitum diviseris ex quacunque parte, & destillante sanguine labia ipsius collapsi illeveris, statim excitabitur ab Epilepsiæ paroxysmo.

Quin & hocce temporis reperiuntur nonnulli, existimantes, sanguinem decollati haustum maxime facere ad abigendum Epilepticum insultum: Rationes insuper in medium adferre allaborant.

Primo enim existimant, haustu sanguinis alterius hominis, præsertim optime valentis, & violenta

morte interempti, sanguinem Epilepticorum morbidum non parum emendari, inque meliorem statum transferri; cum enim ille assumptus, tam operosa, quam alia devorata elaboratione & coctione in Ventriculo & Hepate, minime indigeat, sed promptissime ob similitudinem rapiatur in venas, sanguine minus laudabili turgidas: idcirco eum sic attractum, alterius sanguinis impuritates, ac morbificas Tincturas, nobilitate suæ essentiæ alterare, & temperare posse, credibile omnino videri existimant. Immo plurimos spiritus vitales & animales in sanguine recenti & hausto ob levitatem celeriter ascendere, Cerebrum versus tendere, sese cum partibus corporis nostri conjungere, sicque eos antea languentes vel exsolutos, facile excitaturos instauraturosque dicunt.

2. Quia nonnullorum animalium Sanguini hæc vis ac proprietas adversus Comitialem morbum inest: humanum quoque utpote nobiliorem, eandem obtinere arbitrantur; sic enim Aquilæ, Cervi, agni, testudinis, mustelæ sanguinem epilepsiæ mederi probati scribunt autores; vide *Augen. Tom. 2. consultat. & epistol. medicinal. lib. 8. Wecker. in antidotar. special. lib. 1. s. 24. Bayer. lib. 2. Practic. c. 16. & Aldrovvand. l. 1. part. 1. Ornithol. & Tom. 1. l. 12. c. 13.*

Verum maxime falluntur, quicunque eam amplectuntur sententiam, nec enim orationes hæ ejus sunt momenti, ut poculum hoc cruentum licentia boni Medici cuidam propinari possit.

Rectius itaque à Sanioribus statuitur Negativa, quæ & sequentibus roboratur fundamentis.

1. Quia ex poculo hoc Sanguinis H. crudi plus periculi, quam commodi expectandum, Sanguis enim, ut omnes Medici, & ipsa fibrosa sanguinis substantia testatur, extra vasa facile concrescit, & putredinem incurrit, idcirco maximopere pertimescendum, ne ita epotus, calore ventriculi, aliorumque viscerum in similem concretionem citissime abeat, atque ita plurima symptomata cum vitæ peri-

periculo inferat: quod nonnulli ex Taurini cruoris haustu experti sunt. Nam Midas Rex Phrygiæ, Psammetichus Rex Ægyptiorum, Æson pater Jasonis, & Themistocles fato suo miserabili id contestati sunt, ut id *Vutzerus tr. de Epileps.* ex auctoribus propriis refert.

2. Quia morbus hic ex haustu sanguinis humani magis excitatur, nam id confirmat antecedens ratio, cum concretum hunc extra vasa sanguinem, putredo statim excipiat: ex putredine vero non nisi vapores putridi & maligni generari possint, qui Caput ferientes, Cerebrumque vellicantes occasionem paroxysmo præbent. Id confirmavit olim Magnus ille Orthodoxæ Ecclesiæ Theologus D. Fridericus Baldvinus B.M. in quadam disputatione Inaugurali, referens, audaculum quendam præservationis ergo sanguinem jugulati hausisse, qui tamen subito in Epilepsiam incidit, quum tamen ea antehac nunquam tentatus fuisset. Similem aliquando narrabat historiam Cl. D. Joannes Bacmeisterus Medic. & Profess. Rostochiens. præceptor olim meus & hospes honorandus.

3. Lubrica est illorum experientia, qui sic sanatos Epilepticos proferunt: licet enim Celsus de quodam id affirmet, qui jugulati gladiatoris calido epoto sanguine, liber à Comitiali morbo evaserit: tamen confusæ id fundamento nititur experientiæ.

4. Sanguis sui animalis obtinet Naturam, hinc facile actiones & Naturam jugulati patiens induere potest. Quod vel sequens confirmat historia.

Literis prodidit Julius Capitolinus Faustinam M. Antonii Philosophi uxorem cum sanguinem gladiatoris illius, quem unice deperibat, calide exceptum ebibisset, statimque cum marito concubuisset, gravidam factam peperisse commodum hominem ferocissimum, ac crudelissimum, qui gladiatoriis ac pugnis cruentis Rempub. Romanam fere attrivit. Imo videmus ex haustu aliorum anima-

animalium sanguine, simile quid in potatoris naturam deferri: & memorabilis est illa historia, quam habet *Weinrich. l. demonstr, c.* 15. de Puella quadam Vratislaviensi.

Hæc, inquit, mollior, non multorum annorum, cum publice spectaret à carnifice latronem capite truncari, territa spectaculi fœditate, in Epilepsiam incidit; multa pro remedio tentata, sed frustra omnia; ex vulgo quispiam suasit; felium sanguinem porrigi utile esse, quo ebibito, malum non difficulter cessaturum; offertur, accipit misera, infelici admodum eventu; paulo post enim felis naturam induit ex intervallo, & quod id animal in ædibus solet, id illa imitatur, voce, saltu, gestu, vestigiis, cum mures in silentio venatur, in angustissimis etiam, quibuscunque potest foraminibus, adque ita diu, dum Paroxysmi vehementia remiserit.

5. Hominum natura, sanguine Humano epoto, audacior evadit, ita, ut instar belluarum, exuta omni humanitate obvios quosvis adoriantur: Confirmat id historia Langii, quam *l.* 1, *epist. p.* 385. sequentibus delineat verbis.

Pastor quidam sicarius & homicida, duos habebat filios, quos sibi in sui facinoris & latrocinii subsidium adscivit: at, cum pater juniorem, ad tam sæva obeunda facinora pusillanimem agnovisset, occiso in sylva Ottonis tabellario, quod à recto itinere deviarat, pater, panem sanguine occisi madidum, filio esurienti edendum præbuerat; quo degustato, tanquam dæmonis œstro percitus, sese ad quævis perpetranda facinora longe audaciorem factum, dum de eo & patre sumeretur supplicium, & frater etiam una meritas penderet pœnas, ingenue confessus est: Vide ibidem plura de Judæorum perversa malitia, & pueros Christianos necandi audacia & perversitate.

Adhæc & idipsum confirmare videtur id, quod habet *Dion. Græcus l,* 2. *de Cæsar.* ubi mentionem facit Caligulæ quarti Roman. Imperatoris, cujus Crudelitatis & malitiæ, nec ad matrem, nec pa-

pat rem, sed Nutricem, quæ ipsum lactavit, refert; Ille enim, inquit, id, quod esset crudelis, & barbara, sæpissime oras mammillarum sanguine illiniebat, & fricabat, infantemque exsugere permittebat; quod & ipse factis comprobavit; non enim contentus erat infinita multarum hominum cæde, verum sugebat etiam sanguinem de gladio suo, vel sica, & lambebat lingua sua, sæpiusque exoptabat, ut totus mundus unam testam haberet, ut sic uno omnes ictu decapitare quiret, & solus regnaret in terris.

6. Quia sanguinis animalis bruti adhuc viventis & animati gustatio & comestio populo Israelitico ab ipso Deo severissime prohibita fuit. *Gen.* 9. *vers.* 4. *Levitic.* 3. *vers.* 17. 7. *vers.* 26. 17. *vers.* 10. 19. *vers.* 26. *Deuteron.* 12. *vers.* 16. 23. *vers.* 15. 1 *Sam.* 14. vers. 32. quanto magis ab eodem potationem humani sanguinis, & quidem calidi, spiritibusq; vitalibus pleni, nobis Christi nomen professis, nunc interdictam, putandum erit?

Hinc recte concludit *Unzerus* c. 9. 235. Pronunciamus ac statuimus, sanguinis humani calentis potum, Comitiali morbo correptis porrectum, non solum inhumani, ac truculenti quid in se habere, verum etiam ob metum coagulationis & corruptionis in Ventriculo cum ingenti periculo vitæ assumentis conjunctum esse. Quapropter ab ejusmodi cruento potu, ut quisque, cui propria salus cordi curæque est, diligenter sibi caveat, nec vanis vanorum ac superstitiosorum hominum persuasionibus, temere sibi imponi patiatur, publice nunc omnes monitos volo.

Sic & *Weickard. Thesaur. Pharmaceut.* p. 51. inquit, Potio hæc sanguinis mera est fabula anilis, & potius Dæmonum præstigiæ, quos Magi Diabolorum auctores, cæde humana & sanguinis effusione delectari sciunt.

Mirum mehercle, quod nonnulli ex Practicis Humano & juvenili sanguine internas senum partes irrigandas censent, ut revivi scant & juvenescant;

[illegible] *Marsilius Ficinus c. 11, l. 2. de vita compa-*
randa ita loquitur.

[illegible] senilis excipit, liquore humani
sanguinis destillato Medici quidam reficere moliun-
tur, nihilque prohibet, quo minus senio jam confe-
ctos sanguinis potu reficiamus, cum communis &
vetus sit Opinio, sagas quasdam infantium sugere
sanguinem, quo viribus juvenescant. Cur non &
nostri Senes, inquis, omni auxilio destituti sangui-
nem adolescentis, sani, læti & Plethorici sugant
more Hirudinum ex vena brachii secta ad Unciam
unam vel duas mox que sachari & Vini tantundem
assumant. Ratio Ficini, & aliorum Medicorum
consilium hac in parte probari videtur. Sanguis e-
nim humanus, cum sit Natura omnibus humoribus
temperatior, humanæque Naturæ familiaris, utpo-
te calore, spiritu, vitaque plenus; cur non
ætate Senibus salutaris, præsertim, cum lactis huma-
ni usus & à Galeno, & ab omnibus medicis lau-
detur?

Verum enim vero ex ante dictis manifestum est,
nulla ratione & Senibus poculum illud truculentum
concedi posse. Neque imaginandum est, inquit
Francisc. Ranchin. tr. de morb. Senum sect. 2. c. 2. p.
497. Senes juniores fieri posse ex potu sanguinis
puerorum, cum non detur regressus a Senectute ad
juventutem, ut experientia istius remedii vanita-
tem & abominationem demonstrat; qui enim san-
guinem humanum ex ipsis hominibus sorbent, &
carnibus humanis vescuntur, ut & Barbaris notum
est, non propterea longiori vita fruuntur, aut re-
novantur.

Sanguinis hausta olim fœdera fuerunt inita apud
Scythas, ut habet *Solinus c. 15. Florus l. 4. c. 1. He-*
rodot. lib. 4. Sauciarunt enim se, exceptumque san-
guinem, ubi permiscuere degustarunt, idque mu-
tuæ fidei certissimum putarunt pignus.

Valerius Maximus l. 9. cap. 11. Sariastrem adver-
sus patrem suum Tigranem Armeniæ Regem ita
cum amicis conspirasse, scribit, ut omnes dextris
manibus

manibus sanguinem mitterent, atque invicem cum sorberent: sed hæc ad Politicam: vide Scholtzers. Polit. l. 4. c. 35. p. 464. vide & plura apud *Libav.* p. 2. *singul.* p. 164. *&c.*

Crudum Sanguinem in Hæmorrhagia narium nonnulli commendant.

Crato consil. à Scholtzio collectis, consil. 71. inquit, Si cum aqua fragorum, sanguis, qui effluit lamina ferri candente exceptus ut pulverisatus assumatur, vel pulvis ille, cum pulvere lapidis carpionum mixtus imponatur fluxum narium compescit.

Mindener. medicin. militar. pag. 107. Si quis adeo vulneratus, ut sanguis sisti nequeat, accipe sanguinem profluentem, & in ferreo vase excipe, & exsicca penes ignem, ut in pulverem abeat, hunc in vulnus immitte; unde illico sistitur fluxus.

Libav. in Apocalyps. Hermet. part. 3. p. 314. Hæmorrhagiæ sanationem ex intervallo ex aliis hanc ponit; dum inquit,

Ut hæmorrhagiam s. sanguinem etiam incisis omnibus venis emanantem sistas, absente, qui patitur fluxum per plurima milliaria à loco patientis, modo habeantur aliquot guttulæ sanguinis illius, qui emanavit. Cape Vitriolum, q. v. redige in pulverem: mitte in capsulam ligneam: affunde seu instilla aliquot guttulas sanguinis in Hæmorrhagia: impone Vitriolum & abstersionem tege, ut fiat S.S.S. repone in aliquo temperato loco, nec frigido admodum, nec calido. Sistetur momento sanguis sive præsens sit, sive absens ægrotus.

Porro Aqua illa, quæ Sanguini per Venæ sectionem emisso, innatat, optime dolores mammillarum puerperis mitigat, si linteola ea imbuantur, *Wittich, l.* 2. p. 92.

Weckerus pag. 130. ex Cardano commendat Balneum primogeniti filii, ubi illius sanguinis sunt reliquiæ leprosis: hos enim eo restitutos vidit, causam à sympathia quærendam esse dicit: corruptior enim, inquit, sanguis per arterias & Venas ine-

... [illegible] ... attrahit. Est a. Sanguis,
... à partu effundi..., & potentia qualis noster, &
... & visibus adhuc partus ac pueri calidi-
... quocirca vehementer urget & purgat, & extin-
... guit, veluti radii Solis, ignis flammam obruunt, &
evanescere cogunt.

Secundo Praeparari potest Sanguis Humanus variis
modis, variaque exinde conficiuntur medica-
menta.

Praemittimus hic illam praeparationem, qua Ma-
gneticae & Magicae perficiuntur actiones: ut autores
eandem volunt, licet plurimum dubii subsit, nec
veritas suis destituatur difficultatibus; &c.

Lcujus Paracels. in manual. p. 51. meminit, de qua
& Ernestus Burggravius libellum integrum conscri-
psit, eaque in notis Hartmannianis supra Tyrocin.
explicata, legitur.

℞. Sanguinem humanum calentem è Vena
Basilica emissum, adde Spiritum Vini summe exal-
tatum, antea in praeparatione Urinae ad auri soluti-
onem traditum, rite observato utriusque pondere,
quod pro libitu & ratione Objecti proportionaliter
majus aut minus esto, qualis est sanguinis ad alco-
hol. Vini, tripla, quadrupla vel quintupla: mista
per filtrum trajiciantur, & in Pelicano ansato Her-
metice clauso, tertiam saltem ejus partem comple-
xa, in B. digeruntur, donec naturali quadam fer-
mentatione tota capacitas vasis à mixtura illa oc-
cupata, & separatio puri ab impuro instituta fue-
rit: purum, quod est aurei coloris, servatur seor-
sim, & exaltatur per Cucurbitam vitream cum suo
Recipiente firmiter & continuo ferruminatam, solo
syphunculo, per quem liquor intromittendus est ad
collum suum permeabili, decies vel duodecies ex
B. cohobando, donec pretiosus liquor perfecte prae-
paratus fuerit: Iste tandem adaptato ellychnio, ex
consueto artificiose parato, in Lampade Solari vel
Lunari, vel vitrea radiis Solaribus per speculum
concavum in ellychnium coactis, accensus, sanitatis
vel morbi certissimus index reponitur.

Lampas

Lampas enim s. lumen hoc semel incensum ardet jugiter, quoad homo ille, è cujus apparatur sanguine, vitalem ducat spiritum, atque eodem quo eundem inflat ipse, horæ sive momento s. punctistitio, simul cum eo extinguitur; Insuper si flamma luculenta sit, elevata, tranquilla & immota, nihil homo iste, quod vel corpori, vel animo grave sit, aut molestum, sentit; sin vero secus habeat, & assurgens flamma varie scintillet, aut depressior sit, aut nebulosa & torpida, indicium tibi anxietatis, tristitiæ, cæterorumque pathematum esto; perpetuo enim ex congenitis Microcosmi individuis affectibus ac naturalibus inclinationibus (cum & sanguis ille à sanguine ipsius hominis & corpus ejusdem à substantia hujus ipsius sanguinis à quo sanguis ad præparandam Lampadem, mutuo quasi sumptus est, enutriatur) flamma ista pro statu & habitu istius hominis sive prospero, sive adverso emicat, & spectandam sese præbet.

Hoc oleum, sive hanc flammam, ignemque inextinguibilem, ad aliquot annos micantem, inventum aliquando fuisse aiunt Patavii in Italia: ibidem enim in monumento vetustissimo urna fictilis inventa cum inscriptione hujus Hexastichi.

Plutoni sacrum munus ne attingite fures.
Ignotum est vobis hoc quod in urna latet.
Namque elementa gravi clausit digesta labore
Vase sub hoc modico, maximus Olybius.
Adsit foecundo custos sibi copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.

Intra hanc urnulam erat altera cum inscriptione horum versuum.

Abite hinc pessimi fures.
Vos quid vultis cum vestris oculis emissitiis?
Abite hinc vestro cum Mercurio petasato, caduceatoque.
Maximus maximo donum Plutoni hoc sacrum facit.

Rursus

Rursus intra hunc annulum, insertus est [illegible] adhuc [illegible] intra duos angulos, alterum ex auro, alterum ex argento, purissimo quidem liquore plenus, cujus virtute conditur per multos annos [illegible] hanc [illegible].

II. *Cura Magnetica*, qua difficiles & periculosi morbi plurimi nulla potione Medica, absque sumptis Pharmacis sanantur: cujus processum tradit *Ernest. Burggrav. l. c. pag. 130.* sequentibus.

Primum, inquit, mense Majo, vel Icteritia, vel Hydrope, aut ipsa fere lepra, cæterisque id genus morbis laboranti, Media brachii dextri incidenda est: invigilandum autem huic negotio unice, ut ipsa Media, non ejus loco alia, feriatur. Vena sic perite incisa, sanguis quantum duo exinanitorum ovorum compleant putamina, vitreæ phialæ commodùm [illegible] immittendum, è vena adhuc calentis, ut ovorum putaminibus in hunc usum præparatis modo insequenti citissime possit infundi. Gallinæ ova duo aut tria erunt sumenda recenter parta; in extremitatibus utrisque subtiliter perforanda; vitellum cum albumine ex iis efflandum: membrana deinde alia vitulina, aut Ovina, aut alia tenaci ac solida alterum foramen glutine fabrorum ephippiariorum probe obturandum: quod ubi siccatum fuerit, luto Cretensi & Ovi albugine constipandum, & quoad ejus fieri poterit limo viscoso compingendum & consolidandum, utque exsiccetur, agendum. Quo sic expedito, sanguis repente, ut è Vena adhuc calet, exinanito Ovi putamini infundatur; & sic modicum reponatur, quoad obriguerit paululum & coagulatus sit: Hoc facto, alterum illud foramen arte & cura eadem obstruendum, & ut exsiccetur, similiter agendum. Hoc compendio aliquot ovorum putamina in hunc usum aptari possunt, quæ sanguine ægri illius adimpleta Gallinæ subjicienda, & ad dierum quatuordecim aut trium septimanarum spatium, ut iis incubet, veluti cæteris ad pullos generandos suppositis, curandum. Quod si gallinæ plura valetudinario-

rum.

rum pluriũ sanguine ova sic adimpleta, pro genuinis suis queant subjici, ejusdem res erit efficaciæ. Decurso temporis illius spatio, & putrefactione oborta, resumenda erunt ova illa, & in diem tertiũ seponenda, post aperienda: quo facto, ægri illius sanguinem à continua illa digestione Monstro similẽ videbis, fœtore longe teterrimo. Hunc ergo exemplũ porco vel Cani sub custodia biduũ & triduum etiam esurienti, pani recenter pisto inditũ, aut alii cibo mistũ objice devorandũ. Porco tamen satius erit objici: siquidem dolore concitato, latratus ejulantes & queruli à Cane circũcirca viciniæ molestiores, ac minus ferendi, excitarentur. Sic tanquam in speculo apparebit in porcum aliudve animal translatam esse ægritudinem; sive ab Icterico, sive ab Hydropico, sive Phthisico, & id genus aliis. Quod in bestia liquet evidenter, & in homine sine ullo doloris sensu valetudini pristinæ restituto, & adversa illa in bestiam immigrare jussa: quam à deglutita illa Mumia aliquot hebdomadas sub custodia asservatã, telo trajicere, aut aliter conficere fas est, ne soluta, vel in pueros, vel in alios sæviat, eosque lethaliter inficiat.

III. MAGICUM quoque PHILTRUM ex Sanguine parari potest.

Nonnulli Mumiam ex sani corporis sanguine paratam, putaminibusq; , ut paulo ante dictum, inclusam, una cum testa ponunt in furnũ pistoris tamdiu, quam solent pinsere panem, postea eximunt, & usui reservant: quicunq; enim hominũ aliquid de ea assumpserit, immo attigerit, trahitur is ad aliũ, unde sanguis fuit prolectus, ut ferrũ ad Magnetem. Et notum est, Rusticos hoc arcano pecorũ gregem & capras, vel anseres, vel columbas ita sibi devincire, ut ad alios dominos nolint divertere, & animum revertendi non deponant, consuetudinemq; remeandi domum, more solito, non deserant; nec fiant, quod dicitur, occupantium, quod secus fieret. Sunt & Venatores, qui hoc arcano feras sibi conciliare norunt, ut in ipsa pene retia easdem pertraxerint.

Hartmannus in notis Beguinis privatim traditis de

Philtro

Philtro ex S. H. parando, sic inquit: Sæpius autem u-furenisse animadversum est, quod inter diversos du-os odia & simultates vigentes, quin etiam inter uxo-rem & maritum jurgia & rixæ, odium intolerabile procrearint, & alter alterū tanta mentis aversatione & acerbitate insectatus fuerit, ut neq; præsentis vul-tum, neq; absentis recordationem tranquillo animo ferre potuerit. Cujus odii memorabile exemplū est patris, filium ex conjuge legitime natum haut alio modò aversantis, quam, quo nonnulli feles reformi-dare, nec ulli aspectu, vel alio sensu ferre solent, idq; is cum statim à partu fecisse dicitur, tum etiam sub-sequente ætate. Cum enim pater juberetur recens na-tum amplecti, abhorruit, nec postea ejus præsentiam in eodem contubernio absq; animi deliquio tolerare potuit. Factum itaq; est ab amicis, ut, cum puer de-cennis cum aliis pueris, uno eodemq; habitu vestitis, inscio patre in convivio ministrasset, neq; dum à pa-tre agnitus fuisset, pristinam tamen affectionē, pater præter omnem spem, passus fuerit, animi deliquio cum algore & sudore invadente: jussus ergo filius dis-cedere, perpetuo postea divortio à patre est sejun-ctus.

Huic itaque abominabili affectui sequens ex *Sang. H. Hartmannus* parat remedium.

℞. Sanguinis ex Basilica sinistri brachii ejus personæ, quæ ab altera odium patitur q. plac. eun-dem è Vena prosilientem in tantundem alcoholis Vini optimi per infundibulum immitte: digere vi-tro bene clauso per plusculos dies, postea destilla ex B. vaporoso per alembic. ad siccitatem.

Ejus aquæ destillatæ exhibe alteri personæ, quæ odium alit in Vini haustu, jejuno Ventriculo ℥. i. vel duas, aliquoties repetendo, & mirabili admodū me-tamorphosi animi diffidentium conciliabuntur, omni-um rixarum fomites seu irritamenta cessabunt, modo præter hanc medicinā etiam piorū consolationes & jucundæ suasiones accedant; malevolorū v. garritus & nugæ abarceantur. Hac ratione conjuges furiis rixarū agitati, redintegrato pristino favore in individuū amo

sem

rem mutuosque amplexus rediisse explorata & confirmata apud Philosophos experientia fidem facit.

Sequuntur aliæ ex Sanguin. Microcosmi præparationes, & quidem primo Simplices destillationes: sicque primum in usum Medicum venit.

AQUA SANGUINIS HUMANI.

Hujus præparatio sequenti instituitur modo.

℞. Sanguinem Microcosmi purum, ex Basilica aut Mediana hominis sani, qui bonæ sit constitutionis, nec eundem propter infirmitatem sed abundantiam, & quidem non timido & fracto, sed alacri, ac præsenti animo emittet, extractum; humorem aut aquam cum sanguine procurrentem adime; deinde sanguinem istum adhuc calentem per cinerem in Retorta, vel in B. per alembicum lento igne tamdiu destilla, donec omnis aqua extracta sit, & ne residuum comburas, diligenter animadverte, ne aqua vel turbida sit, vel foeteat.

VIRTUTES ET VIRES.

Hollerius p. 209. in *Phthisi* ad restaurandum aquam hanc commendat, si ejus ℥. i. bibatur, membraque affecta ea foveantur. Hinc & *Thesaurus Euonymi* tradit, quod exigua ejus quantitas sumpta omnibus viribus exhaustos restituat.

Matth. Martin. tr. de Scorb. tradit liquorem hunc extrinsecus admotum artus marcescentes roborare.

Poppius cap. de Epileps. pag. 62. In *Epilepsia* eo utitur, dum inquit; Si homini sano vena secetur, in conjunctione Jovis & Veneris & ex sanguine illo aqua destilletur, patientique exhibeatur, liberabitur à morbo.

Fistulæ si illa laventur, purificantur & sanantur.

In *combustione membrorum* s. ab igne. s. ab aqua facta circumliga aqua hac locum affectum, sic citius sanabitur.

Paracelsus

Paracelsus vult, quod in loco tenebricoso aut solitario nullus nobis oboriri possit terror, si ea facies lavetur: Is & vitrum ei impositum mollius reddit.

Fallopius l. de secret. p. 151. de hac aqua hoc habet. ℞. Mercurii q. p. ablue cum aqua S. H. idq; aliquoties repete, & iterum exsiccetur, tandem indurescit Mercurius, & tractabilis fit instar Lunæ.

Hæc Aqua S. H. compositionem nonnullorum medicamentorum ingreditur, paraturque cum ea.

I. AQUA OPHTHALMICA.

Hanc descripsit *Croll. Basil. Chym. pag.* 195.

℞. Vini Malvatic.
Aquæ Sanguinis Humani.
stillatic. albumin. ovorum coctione induratorum an. lib. i.
rosarum rubra. alb. an. ℥. iii.
Chelidon. rutæ.
Euphras. fœnicul.
Valerian. fumiterr.
Puleg. an. ℥. ii.
Mellis Virginei cochl. i. ß.
Alumin. roch. Sach. cand.
Vitriol. alb. an. ℥. ß.
Camph. ʒ. iii.
Salis euphras. fœnicul.
Satur. an. ʒ. i.
Essent margarit.
Corallor. an. ℈. ii.
Caryphill. Zingib.
Mastich. an. ʒ. i.
Tutiæ præparat. i. e. in aq. rosac. & Vino Cretico an. sexies extinctæ, ac tenuissime tritæ, ℥. i. ß.
Aloes ℥. ß. Terenda terantur, & misceantur, sic in vitro clauso, aut caloris digestione per triduum, vel quod melius sub dio Soli & rori exponatur

exponatur per 40. dies, quotidie aliquoties movendo, sic demum insolata promenda usui.

Valet ad omnes oculorum affectiones, inflammationes, lippitudines, nebulas, fistulas & ejusmodi: Modus applicandi generalis hic est: Jaceat in lecto æger supinus, & injecta intra apertos oculos aquæ gutta cum pluma gallinæ indatur; claudat, reseretque oculos infirmus, ut per oculorum cavitates intrusa aqua per oculum diffundatur, id bis terve in die fiat, & curabitur.

II. *Confortans Catholicum,*

Hoc reliquit in scriptis *Arnold. Villanovan.* ex quo deprompsit *Myllius*, & inseruit suo *Antidotar.* p. 788. & *Basil. Chym. tr. de Auro.*

℞. Roris Majal. destillat lib. ii.
Sachar. ℥. viii. Coque ad consumptionem Roris Majalis, adde deinde.
Aq. destillat. fl. vel corticum citri.
Meliss. an. ℥. i. Incorpora ad Solem fortissime bene agitando cum spatula: & sic permitte stare in vase panno subtili cooperto per tres dies, donec inspissetur: postea.

℞. *Aquæ stillatic. Sanguinis Humani* ℥. ii.
Sanguin. dracon. ℥. ß. distempera totum miscendo cum jam supradicto Sacharo, & fortiter incorporetur ad Solem: deinde.

℞. Croci Orient. ℈. iv.
Moschi ℈. ß.
Auri foliat. ℈. i.
Ligni aloes ℥. i.
Corall. rubr. ℈. ß.
Rosar. siccar. ℥. ß.
margarit. ʒ. ß. incorpora fortiter, & sic permitte vas coopertum, donec exsiccetur. F. Electuar. confortans mineram omnium virtutum.

III. *Unguentum Sympathiæ contra Podagram,* quod idem describit *lib. 5. de secretis, p. 183.*

Sanguis, inquit, Podagrici per Phlebotomiam

aut ventosas tractus, servetur, ipso tamen inscio, qua in re hoc uti velis. Destilla ter Mariæ Balneo in aquam.

℞. Hujus Aquæ Sangu. H. ℥. iii. quibus addes.
Olei rosar, Saponis Venet. liquefacti an. ℥. ß.
Axungiæ human. ursin.
Succi barbæ Jovis an. ℥. i.
medullæ bovis ℥. ß. Omnia lente coquantur in æneo vase, donec in spissitudinem Unguenti convertantur: assidue tamen agitentur, ne comburantur: postmodum in augmento Lunæ octavo die, semel patientis plantæ ferro pungantur, ut solet pro ventosis applicandis fieri partes, dolentes itidem ad hunc modum etiam aperiantur, & calidissime perungantur unguento supradicto, ut penetret; sic fiet, ut in novem Septimanis abeat Podagra. Unguentum hoc decem annis in suis viribus & virtutibus conservari potest in loco temperate frigido.

Si quis tamen per Aquam, Spiritum elaboratiorem intelligit, is sequentem notare poterit descriptionem, aut ex sequentibus aliam eliget.

Mense Majo hominis sani & juvenis bene temperati vena est incidenda, sanguisque cucurbita munda excipiendus, donec tertia ejus pars occupetur: agglutinatoque alembico cæco in B. detinetur, donec sanguis intumescens totam cucurbitam impleat, id quod fit mediocri calore. Destillatur postea Aqua, quæ non magni æstimatur, quanquam elaboretur ab aliis amplius & usurpetur ad extractionem Salis. Reliquiæ in Retortam infusæ, applicata Retorta alia pro Recipiente, in cineribus destillantur, clausis luto juncturis, & resiccatis: destillatione peracta, reclusis commissuris, liquor refunditur super fæces, iterumque destillatur: idque fit novem vicibus; semper Capiti mortuo destillatum reaffundendo, ut color subsequatur rubinus; attendere autem oportet in destillatione, ne nimio

mio igni sinas comburi in carbonem, sed tantum ad siccum destilles.

Vocatur hic Spiritus à *Libav. l. 8. Syntagm. arc. cap. 20. Oleum Cuirsie*, quo opinari nonnullos scribit, restitui posse in agone constitutos, ni definitus moriendi terminus advenerit. Resuscitationem mortuorum medicam indigitarunt Lullius & Democritus.

II. OLEUM SANGUINIS MICROCOSMI.

Variis modis hoc ipsum parari posse, legimus apud Naturæ consultos: & quidem primo ex RESIDUO illo, quod remansit in prima destillatione, qua Aqua educta fuit: Residuum enim illud pulverisatur, & in duas dividitur partes. Uni parti adfunditur Acetum Vini destillatum, quod cum Spiritu Vitrioli corroboratum est, ad duorum digitorum supereminentiam, inde Retortæ & sensim destilla ex arena: Liquor tunc exibit; ignem postea urge, donec *Oleum* egrediatur, quod separatum permiscetur Unguento contra Luem gallicam: Liquorem v. & acetum exhibeatur ægroto: Dosis à ʒ. i. ad ℥. ß. in Vino.

Alteri v. parti adfun. de Ol. Juniper. vel Terebinth. & destilla per Retortam ex arena: destillationem illam repete: sic exit Balsamus ex viva Mumia, quo affectus morbi Gallici inuncti curantur, & paralysis membrorum inde proveniens sedatur.

Aliam descriptionem proponit, *Poppius l. 3. Thes. Med. p. 741.* sequentibus.

℞. Sanguinem recentem hominis sani, separa eundem à suo Phlegmate, inde Cucurbitæ vitreæ, luto optime claude, vitrumque in Igne vaporis ad putrefaciendum colloca: deinde destilla Phlegma in B. lento igne: Materiæ residuæ post destillationem adde quartam partem Salis Urinæ volatilis, misceantur invicem, vitrumque vicissim claude, & per mensem ad putrefaciendum repone,

tandem

tandem destilla, sic Oleum rubicundum, instar Balsami egreditur: hoc tertio rectifica: sic habebis Medicinam auro ipso præstantiorem, inprimis in morbis & ulceribus malignis & impuris, intus & extra usurpando.

Vel, ut habet idem autor l. c. ℞. Sanguinem hominis sani, aquam remove, & adde uni parti sanguinis, duas Salis puri; exsicca leni calore, postea inde Retortæ, & destilla, sic egreditur Oleum cum liquore; separa quodvis: & accipe liquorem, adde aceti ligni Guajac. an. & adhuc semel destilla. De hoc exhibe ℥. ß. Oleum v. unguentis idoneis commisceantur.

Caput mortuum reverbera, & cum aqua calida misce, ut ea in balneo se lavare possit: cui tamen & alia Salia addi poterunt.

Nec inelegans est modus sequens conficiendi Oleum, quo tutius Interne uti possumus.

℞. Sanguin. homin. sanorum & juvenum Venas primo Vere incidentium satis magnam quantitatem: adde alcoholis Vini præstantiss. partem tertiam, & in Cucurb. probe munita in F. E. digere, putrefaciendo per 40. dies: deinde destilla è Cineribus per alembic. & prodit una cum aqua Oleum elegans, separa Phlegma ab Oleo, destillando per B. lene. Oleum postea per Retortam è cineribus rectifica per se novies repetendo eandem destillationem: sic admodum nobile fiet Oleum: alii sine additione Spirit. Vini sanguinem in digestione præparatum ex Cucurbita incurvata novies destillant, ut habet *Andernac. Dial. l. 7. p. 641.*

Hoc præstantissimum est ad Caducum etiam inveteratum sanandum: si ejus ℈. ß. in aqua Pæoniæ singulis diebus per mensem integrum à Luna nova incipiendo, Epileptico exhibeatur. Præterea que singulis Novilunis, semel per integrum annum ℈. i. repetatur. Interim Diætæ simul exacta habenda ratio, sic certissime morbus tollitur, malignitas ex toto corpore propellitur, partesque roborantur.

[illegible]. *Libavius Dialog.* 7. *de* [illegible] pag. [illegible] in [illegible] quæ Balsamum sanguinis humani vocat, dicitque valere in Capitis doloribus inveteratis, Cerebri affectibus, loquela amissa, asthmate &c. imo in [illegible] medicinis, non neglectis necessariis, valere ait.

Datur à g. 6. ad xii. in vehiculo convenienti: adduxit alii, si Oleum hoc rectificatum superfundatur auro calcinato, aurum solvi, potabileque reddi, ut sit thesaurus incomparabilis, & Epilepticis plus conferat.

Ad Paralysin hoc ipsum oleum commendatur cum aq. vorism. à [illegible] pag. 120. & à Cl. *Sennerto lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 27. *pag.* 555. ad inungendas partes Paralyticas; inprimis si aliis permisceatur linimentis.

Ad Pulmonem exulceratum, Pleuritin, fluxus ventris, Apoplexiam [illegible] scribit *Libav. part.* 2. *Alchym.* p. 143.

Phædro literis prodidit, se soluto dulci Microcosmi (quod *Libav. Syntagm. arcan. pag.* 415. Oleum, salem, aut Essentiam quintam sanguinis dicit esse; quum sanguis sit principium materiale corporis nostri, vehiculumque humidi radicalis, & caloris nativi, vel, ut decies ipse Deus pronunciat in Mose. Vita & anima est in eo) decies dato resolutionem & tabem utriusque brachii sanasse: addita tamen etiam unctione externa ex oleo Philosoph. & Pingued. taxi.

Notemus hic summum Oleo huic inesse fœtorem, inprimis si per se sine additione alicujus destilletur: Sic enim *Sala eph.* 18. Impossibile est, inquit, è Sanguine & carnibus quorumcunque animalium Oleum sine adustione destillare; neque virtutibus corporum suorum Olea hæc respondent; propter deterrimum, putridissimumque odorem, usus ejus sit interdictus. Externe quidem propter, facultatem, quam habent, Salinam, detersivam ac penetrantem usurpari possunt. Verum

enim

[illegible] & fœtor illo per repetitas cohobationes, & aliquam rerum additionem corrigi possit, ac sic internis quoque ejus remaneat [illegible]. Si cui tamen [illegible] arrideat, de Essentia quinta, mox depingenda prædicti Olei loco assumere poterit.

Evonymus in *Thesaur. pag.* 164. Oleum quoddam sanctum, i. vivum Hugonis Gordonii, quo ille plurimas gravissimas ægritudines curavit, describit sequentibus.

Sanguinis rubicundi de homine sano, ætatis annorum viginti quinque aut triginta, libras tres.

Spermatis Ceti, medullæ bubulæ, utriusque libram. Libav. lib. 8. Syntagm. arc. c. 20, moschum & alia addit.

Destillentur in alembico bene lutato, & exhibit aqua prima alba, altera pallida, tertia flava, quarta rubea & crassiuscula. Oleum sic destillatum cum Luna pariter crescit, decrescitque, quandoquidem Sanctum cognominant. Quod si ægroto, qui & vires omnes, & loquendi facultatem amiserit, tres guttas cum Vino perexiguo infuderis, mox & loquetur & validior erit.

Si quis quotidie hujus olei guttam cum cochleari Vini biberit, animo alacri & corpore per omnia membra robusto evadet: & senectutem prorogabit quam fieri potest longissime, nec ab ullo veneno lædetur. Curat etiam fistulas, fracturas veteres, & chronica ulcera, si vini lotione prius sicciora evadant. Vulnera recentia triduo sanat illitu. Ficus ani internos externosque curat. Medetur variis affectibus, lepræ, morpheæ, paralysi, & aliis, si quis jejunus guttam cum Vini albi cochleari biberit.

3. *Quinta Essentia.*

Hanc alii aliter elaborant; prima fit *Ulstadii*, quam delineat *lib. de secretis Nat. c.* 14. *& tandem Libavius l.* 2. *Alchym. tract.* 2. *p.* 127. paucis contractam sic describit.

Sanguinem, inquit, è Vena hominis sani recens extractum permitte coagulari, aquam innatantem abjice, adde decimam partem Salis, macera in fimo vase clauso per dies 40. donec sanguis in aquam vertatur Fimum sæpe renova: destilla aquam, usque ad siccitatem, fæces in marmore læviga, & misce cum sua aqua, degere, distilla cum cohobiis, ut essentia cum aqua prodeat per alembicum: aquam hanc cum Essentia diu circula; postea segrega Phlegma, & relinquitur Quinta essentia Sanguinis. Hæc, referente Ulstadio l. c. in omnibus ægritudinibus ex nimia sua nobilitate & virtute maxime est sustentativa naturæ humanæ, & citissime ægrotantem à quocunque morbo liberat.

Secunda est Poppii, de qua agit in *Hodogetico Chymico* p. 187.

℞. Sanguin. rec. hominis sani, in Vitro bene munito stet per mensem in leni calore ad putrefaciendum; deinde sensim exinde destillando provoca, primo Spiritum & Salem volatilem, hunc remanentiæ reaffunde, & iterum destilla, laboremque hunc cohobando sexies repete: tum demum verus elicitur spiritus, qui in alembico aut Recipiente instar glaciei adhærescit, quem serva: & leni calore Phlegma destillando evoca: donec spissa remaneat in fundo materia, & cuticulam superius contrahat, tum in cellam repone, ut crystallisetur materia: tunc Oleum separa, & plus inde Phlegmatis, ut prius, evoca, ad spissitudinem, vel cuticulæ productionem, denuo ad crystallisandum repone; totiesque id repete, donec nulli amplius conspiciantur crystalli. Ex capite mortuo Salem fixum debito modo extrahe, & purifica, & cum crystallis misce, & per mensis spatium purifica; deinde in B. roris per mensem unum quoque colloca, & sic sensim destilla, donec Spiritus & Phlegma prodeat; mox ignem urge, & cum oleum fœtidum egredietur, ab operatione cessa spiritumque ei affunde, & fortissimo igne destilla, rursumque destillatum reaffunde & destilla,

destilla, cohobationemque hanc sexto repete: tunc quod sublimatum est phialæ angustioris & longioris colli indatur, & ad coagulandum seponatur, sic Sal rubens, instar rubini inde fiet: Cui Spiritum Vini affundes, & in igne circulatorio collocabis, fæcesque separabis, purum v. separabis, instar pretiosissimi Thesauri.

Tertia est Petri Joannis Fabri, quæ l. 1. Myrothecii cap. 8. sequentibus describitur,

Colligatur Sanguis humanus ex Adolescentibus sanis, florido vividoque colore præditis, & quadratæ staturæ hominibus, Mercurio supra Horizontem conjuncto cum Sole in Geminis, vel Virgine, quod solet potissimum contingere, intra menses Maii & Augusti, singulis annis, ut ex ephemeridibus clarum erit cuilibet rimanti: Colligatur autem maxima in quantitate in vasis argenteis, aut vitreis, & custodiatur in umbra coopertus, ne pulvere sordido & festucis contaminetur, donec concrescat, & seorsum humorem per se omnem evomuerit, quem per inclinationem ejicies, & à sanguine concreto separabis. Hujus sanguinis concreti & à seroso humore separati, accipe libras saltem quinque, quas cito permiscebis cum libris decem optimi Spiritus Vini à Phlegmate puri, & simul conjunges in phiala vitrea fortissima, movendo & agitando materias, ut diluatur sanguis, & perquam optime permisceatur spiritui Vini. Hanc materiam optime clausam in B. tepido, aut cineribus tepidis digere per quatuor aut sex dies, donec spiritus perquam optime tingatur, & sanguis sit omni ex parte dissolutus. Cave, ne in digestione calor invalescat supra naturalem calorem, quia tunc temporis Sanguis coqueretur & concresceret magis, nec dissolveretur; dum dissolutus est sanguis, superpone phialæ caput alembici, destilla lentissimo igne, & separa spiritum vini, donec guttæ stillantes incipiant lactescere; tunc temporis vas Recipiens mutando, ignem pedetentim augebis,

augebis, donec cesset destillatio, qua cessata, ignem iterum multiplicabis, ut Sal nive candidior ad caput alembici ascendat; hunc Salem custodies, & aquæ lactescenti prius egressæ conjunges. Feces deinde fortissimo igne combures tandiu, donec albescant; ex his Salem elicies cum Vini Phlegmate puro & nitido, ter aut quater destillato, sequenti modo. Accipe has feces calcinatione albefactas, & his superpone Phlegmatis Vini maximam quantitatem, & in catino stanneo bulliant (cave, ne in cupreo) per horam: bullione peracta & aqua frigefacta impone phialæ, ut feces decidant omnes in fundo; deinde per inclinationem, quod clarum erit effunde in alembicum, & destilla ad siccitatem usque. Salem iterum violentissimo calcina igne, & solve, ut prius, & congela, & opus simile reitera, donec summopere nitescat Sal, & purus putus, & clarus sit valde. Hunc Salem phialæ impositum optime obturatæ, reverberabis in fundo reverberii per quindecim dies, aut plus, donec colorem rubeum acquisiverit: hunc Salem benedictum, coloratum & tinctum dissolve in Spiritu Vini, quem separasti à tuo primo sanguine, dum sanguis cum eo digerebatur, & ponantur simul in digestione lentissima; donec perquam optime tingatur Spirit. Vini: tinctum Spiritum Vini, clarum & nitidum per inclinationem effundes in alembicum, & in B. lentissimo Igne destillabis, donec cesset destillatio. Tincturæ deinde, quæ in fundo remansit, adde Salem volatilem sanguinis, quem conjunxisti cum aqua lactescente, quam custodiendam præcepi. Sit autem Sal iste, & aqua lactescens septima destillatione purificata, antequam conjungatur. Conjuncta simul deinde circulentur lentissimo Igne, & singulis octo diebus superposito capiti alembici vase circulatorio, separetur quicquid aquosum extrahi poterit, quod est reservandum pro summo arcano in omnibus affectibus oculorum: dum aquosum istud omne erit separatum, quod in fundo remanet

maner, custodiendum est, pro summo sanguinis arcano & Quinta essentia. Potest etiam brevius, sed non efficacius, parari hoc arcanum, si Sal volatile sanguinis purum putum separetur per sublimationem à sanguine, & in lentissimo igne ovo vitreo optime clauso fixetur, donec colorem rubeum acquirat.

Vires & usus Quintæ essentiæ. Sangu. Micr.

1. Balsamum est summum, & vires naturalis Balsami longe superat, tum in conservandis à corruptione corporibus, tum in sanandis vulneribus cujuscunque generis, tum in curandis ulceribus quibusvis, intrinsece sumptum & extrinsece admotum.

2. Adversus pestilentem auram, dum omnia fere remedia negligit fortissima pestis, summopere efficax & præservativum.

3. Lepram incipientem susque deque tollit, antiquam vero mitigat, ejusque ferociam reprimit, adeo, ut vita longiori fruantur leprosi, arcano prædicto utentes.

4. Paralysin, & omnes nervorum affectiones extrinsece admotum, & intrinsece sumptum certissime curat.

5. Podagram, quamcunque Arthritidem illico, & quam citissime lenit, & frequenti usu tutissime sanat, & jucunde.

6. Hecticis, Phthisicis, Catarrhosis & tussientibus summum est sanitatis asylum.

7. Hemicraniam, & quemcumque capitis dolorem frequens ejus usus tandem disperdit.

8. Quartanam, & omnem Melancholiæ speciem curat.

9. Intellectum & omnes sensus acuit.

10. Senectutem fortissima juventutis conservatione prohibet, canitiem retardat.

11. Vulnera & ulcera interiora & exteriora brevissimo conglutinat tempore.

12. Omnibus demum morbis accommodatur, & vires æmulatur fixi vitalis spiritus, ex Centro terræ

terræ deprompti, quem antiqui omnes Philosophi Vitæ nostræ verum & unicum propugnaculum dixere, & aurum Dei, quo utitur Deus, ut redimat à morte omnia & annihilatione. Usus ejus est cum aquis Cinamomi, anisi, in juscculis, cum Theriaca tempore pestis ad quantitatem drachmæ unius jejuno Ventriculo.

Idem in *Palladio Spagyr. pag. 39.* similem fere Q. Essentiam ex Sanguine H. parat, sine omni tamen additione: quam & fere similem, verbis duntaxat nonnullis differentem describit *Rhemanus in dissertat. Chymiatechnic. p. 71.*

Primo educitur sanguis in sufficiente quantitate, hic aeris externi facultate concretus, tractu temporis in umbra arescere incipit, ut humiditas superflua aquosa ad nutrimentum illiús humiditatis radicalis apposita, sensim evanescat. Tum materia hæc pulverisata vase vitreo, ad distillandum apto, cucurbitæ vitreæ sc. indenda est, & capitello ipsi apposito, juncturis quam optime clausis, levissimo Cinerum igne pellenda est hæc materia ad capitellum, quæ primo in forma lactis, oculis ipsis sese ostendit. Secundo, Sal crystallinus ascendit, lateribus capitelli affixus, ut Cera fluens, summopere tamen volatilis, quem segregare oportet, & bene custodire, ne pereat. Ultimoque ascendit Oleum rubicundissimum, novo capitello excipiendum, & illico augendus est ignis, ut quicquid est Olei ascendat, reliquumque in fundo remanens comburatur in cinerem albissimi caloris, tuncque frangitur cucurbita vitrea, nec unquam potest tantam ignis pati, quantum necesse est ad illam calcinationem: Præstat itaque, ut postquam Oleum totum ascenderit, cineres, qui in fundo Cucurbitæ vitreæ nigri coloris reperiuntur, extrahant, eosque reponant tigillo terreo, fortissimo igne per Hebdomadam in furno vitrario aut simili, usque ad illam albedinem calcinandos: unde Sal artificiose, ut ex supradictis liquet, extrahendus est, solutionibusque filtrationibus,

bus, evaporationibus, & desiccationibus toties reiteratis ad summam puritatem redigendus: Postmodum Sal volatilis crystallinus, ut Cera fluens quatuor aut quinque sublimationibus, à suis impuritatibus vindicandus, & in unaquaque sublimatione vas sublimationis infernum mutandum: aut illud idem per quam optime detergendum, antequam Sal ascensus iterum solus in illo reponatur, & iterum scandat levissimo igne ad supernum capitellum, donec puritatem quam maximam adipiscatur: Oleum etiam rubeum iterum destillationibus quamplurimis purificandum venit, donec rubini claritatem & splendorem acquirat, ac aliquantulam fixionem, in igne satis magno permanentem, & interim odorem gratissimum. Ultimo hæc tria certo pondere & mensura conjungenda sunt, Sal puta volatilis, Sal fixus & Oleum rubeum, ignique levissimo & continuo per quam longissimum tempus commendanda, ut ignis actione continua & longa in vase apto & Hermetice clauso, tandem hæc tria figantur & in ignis asperitate quiescant, fluant ut cera sine fumo, quod postquam factum reperitur, ipsa experientia completum est. Fides & veritas hujus tanti arcani, ultra rationes Physicas infinitas, penes experientiam est. Hinc Ægyptiorum antiquorum quorundam Sophi, ipsius Elephantiasis verum habuerunt remedium, non ex Balneo ipsius sanguinis humani ut perverse asserit Medicorum quorundam Parisiensium summus, sed ex Arcano sanguinis supradicto, cujus inventionem Ægyptiis solis deberi facile crediderim: unde summa cum injuria ab Historicis quibusdam tribuitur illud crudelius morbo ipso remedium Ægyptiis. Id autem forsan evenit, plebeio quodam rumore; cum illud remedium in arcanis fuerit apud Ægyptios, plebeia eorundem turba tanti secreti non conscia, sanguinem puerorum, ut saniorem, & spiritu illo vivifico pleniorem Medicos Ægyptios conquirentes cernens, Balneum eo sanguine parari putabat, vel quod Medicorum bonum quis ad eludendam

dam turbam, tale portentum illi tanquam verum affirmaret, ut non amplius quæreret, quid inde fieret, & ne fractor sigilli cœlestis & Hermetici esset, &c.

Rhenanus prædicto loco Q. *Essent*. quam ARCANUM vocat, hisce delineat.

℞. Sanguinem hominis juvenis, qui non excesserit annum trigesimum, sani, viri, non fœminæ, pone in matratio amplo vitreo optime clauso, & sine ut putrescat per se in frigido, donec per putrefactionem fiat instar vini rubelli, & sit in liquida consistentia, qui prius erat coagulatus. Peracta putrefactione (quæ intra decem vel duodecim dies perficitur,) ponatur in retorta ampla, in qua etiam poterit putrefieri, & alluturo magno Recipiente, ita pellantur Elementa quatuor, ut Aqua, quæ primo manabit, lentissimo Igne eliciatur, qua cessante, aucto ignis gradu, prodibit aer instar nebularum, qui validissimorum est spirituum, & nisi regatur, vas proculdubio disrumpet: aer hic in oleum album concrescit. Tertium erit ignis s. Oleum rubrum, quod aucto igne sub & super debet pelli: videbis flammas ignis penetrantes in vas Recipiens. Cum hoc igne circa finem audies cum strepitu stillantem Mercurium vivum; cum strepitu, inquam, quia cæteræ omnes substantiæ sine strepitu emanant: pelle summo ignis gradu ad siccitatem usque: feces s. terram in Retorta restantem cape, & aeri expone in catino vitreo: per 5. aut 6. dies humectabitur, & si digitis versas, ac manibus alteras, videbis & invenies in fundo Mercur. currentem, cujus ℥. ii. ex una libra sanguinis eliciuntur: melius separabis, si feces istas aqua stillaticia cadente abluas, quam Sale aliquo prægnantem reserva. Caput mortuum in Crucibulo tecto summo ignis gradu calcina ad albedinem. Salem ablutione extrahe s. artem; sed vide ut fiat in vase vitreo, quia alia vasa, ut fictilia, Sal iste sua subtilitate penetrat. Salem ita præparatum reserva ad usum dicendum,

℞. Tria

℞. Tria Elementa mixta, Ignem, aerem & aquam, quæ simul rectificentur, dato igne per gradus, in arena quinquies vel sexies, tandem veniendum ad separationem. Aqua s. serum blande eliciatur ad usus dicendos. Aer coagulatur in Oleum album, cui supernatat Ignis rubicundus: ista duo simul excipiantur, dato igne & aucto per gradus, ponantur in duabus parvis Retortis, toties fiat Rectificatio (duodecies vel vicies) donec nullæ fæces restent, id est, totum rubicundum separetur, & quod poterit uniri, uniatur cum albo, restetque oleum albissimum instar adamantis pellucidum. Accipe hujus Olei quantum vis, & cum suo Sale pone in Ovo Philosophico, quod sigillatum colloca in forno arcanorum & per gradus dirige.

Quarta est *Beguini*, quæ *l. 3. Tyrocin. Chymic. c. 1.* sequentibus depingitur.

℞. Quantitatem satis magnam Sanguinis virorum sanorum in flore ætatis constitutorum, pone in vase Circulatorio justæ capacitatis in B. M. continue bulliant, donec draco propriam caudam devoraverit, id est, donec omne Phlegma fuerit absumptum. Vasis refrigeratis materiam exime, eamque in particulas scinde: & per Cucurbitas altas, eodem B. calore, Phlegma destillatione separa. Destillatum super id quod remansit, reaffunde in B. bulliens in iisdem vasis circulatoriis per decem dies, ut supra: postea Phlegma destillando, & propriæ terræ reaffundendo, ut supra, quinquies eundem processum repetendo, & ultimo totum Phlegma destillatum reservando. Vasis frigefactis materiam exime, Retortæ amplæ inde, adhibito Recipienti capaci, destilla ex Cineribus Elementum aeris (spiritus) Igne graduato. Nubeculis in recipiente disparentibus Ignis intendatur, ut Elementum Ignis in forma Olei rubri egrediatur, sub finem sublimabit se aliquid de Sale Ammoniaco. Vasis refrigeratis, separa spiritum ab Oleo, vel blanda destillatione B. vel per

tritorium. Spiritum cum Sale Ammoniaco reaffunde fæcibus, digere per triduum, & per Retortam novam destilla: sub finem dando ignem ad Sublimationem idoneum, ut totum Sal Spirituale, vel saltem major pars sublimetur, & cum Spiritu in Recipiente misceatur. Novum Spiritum fæcibus reaffunde, digere & destilla toties, ut supra: donec Terra privetur anima, quod cognosces quando super laminam candentem posita, fumum non ediderit. Notandum, antequam spiritus animetur, debere septies rectificari, singulis vicibus Phlegma & fæces separando; & pars ejusdem seorsim reservari, pro dissolvente parando; & nigrum nigrius nigro (caput mortuum) calcina in Reverberio spatio quinque dierum igne moderato, in vase undique clauso: donec nigredo vertatur in albedinem subflavam, & tandem in rubeum colorem; tum terra apta erit ad susceptionem spiritus animati; imbibe terram calcinatam proprio Phlegmate, & per 24. horas in cineribus digere, & destilla; hoc ter repetendo. Terræ desiccatæ da decimam partem sui spiritus animati: digere in B. quantum satis; postea humiditatem insipidam destillatione blanda separa, reaffunde novam partem spiritus animati, postea septimam, sextam, quintam, quartam partem; tamdiu cum quarta parte imbibendo, donec terra in duplum sui ponderis accreverit. Pone jam terram prædictam in cucurbitam, altam, cui Alembicum cum receptaculo simul adaptatum, rimulis diligenter constipatis, & da ignem cinerum, spatio duorum dierum, quousque fumus ille mundus & albus ascendat, & instar Talci ad latera cucurbitæ hæreat.

Hujus Mercurii meteorisati ℥. i. misce cum septem Unciis Spiritus rectificati, non animati; digere per biduum in B. postea destilla per Cineres, deinde per B. cum reiteratis cohobiis, donec nullas relinquat fæces; tandem per quadraginta dies circula.

Usus ejus quoque est Tincturam ☿ metall. & lapid,

lapid. extrahendam. Sed & tum hæc, tum aliæ descriptæ ad supradictos quoque valent affectus.

Adversus *Epilepsiam* tale quid exinde componit *Pappius l. 1. Thesaur. med. pag. 63.*

℞. Essentiæ Sanguinis. Hum. ℈. i.
hirundin. gr. iii.
Visci quern. ℈. i.
Cranii hum. ℈. ß.
Aq. pluvial. destillat. ℥. iii.
Syr. fl. pæon. ℥. ß. M. pro una dosi.

Et *pag. 65.* ℞. Essentiæ Sangu. H, plantag. an. ℈. i.
Spiritus Camphor. gutt. vi.
Vitriol. ℈. ß.
Salis. C. C.
Cranii human. an. ℈. ß.
Roris majal. destillat. ℥. iv. misce, & ægroto exhibe in conjunctione Solis & Lunæ.

Antequam ad alias deveniamus præparationes, non sine causa quæritur, cur Beguinus in descripta Q. E. præparatione Sanguinem humanum Draconi s. Serpenti assimilet.

Hic notare possumus ex Ægyptiorum schola idipsum depromptum esse; non enim tam liberali more Ægyptii secreta sua pandebant, sed characteribus solum & variorum monstrorum figuris ea involvebant, & Q. Essentiæ Sanguinis Hum. præparationem, sub figura Draconis s. Serpentis caudam suam sub guttur attractam occultantis in Saturni dextra manu, occultabant; explicationem hujus Characteris uberiorem vide apud *Fabrum pag. 43. Tallad. Spagyric. & Tier. in Hieroglyph.*

2. Quæritur. Utrum ex Sanguine Humano Mercurius vivus elici possit? Affirmati ex Beguini Tyrocin. pag. 256. colligitur, ibidem enim autor testatur, se novisse Lutetiæ plures viros fide dignos. & præcipuæ authoritatis, dignitatisque, qui non modo è mineralibus, sed etiam ex Sanguine Human. prius calcinato, & ex plantis etiam Mercurium vivum elicuere. Verum licet ex Sale, Sulphure

& Mercurio etiam corpora animatorum constare dicamus: non tamen Mercurius vulgi intelligitur, sed Philosophicus; non currens, crudus, sed animalis, qui proportione Humoribus respondet: nihil enim est in corpore, quod non prius fuerit in Semine, at exinde Mercurium vivum extrahi posse, nemo dixerit. Si tamen per Mercurium, Salem illum è sang. sublimatum & meteorisatum, Mercurii Philosophici æmulum quis intellexerit, libenter subscribimus; & sic vide processum Rhenani antea depictum: aut tamdiu judicium nostrum hac de re suspendimus, donec certiorem aliquam consequamur notitiam: vide haut dissentientem Untzerum tr. de Mercur. pag. 107.

Composita è Sanguine Human.

1. *Spiritus Antepilepticus* Plateri: quem tr. 1. p. 85. describit, & est seq.

℞. Sanguin. Human. è recenter jugulato, vel Vena aperta hominis sani, collecti libram dimidiam.

Radic. Pæon. recent. incis. ℥. ii.
Sem. ejusdem ℥. ß.
Hyssop. Rutan. Mi.
Cranii human. ℥. i. eliciatur aqua mox dum calet. cujus datur ℥. i. ad præcautionem,

Magis compositum ibidem sic parat.

℞. Sanguinis Hum. ℥. iii.
Hirundin. pullorum Nu. xv.
Picæ, cuculi pullor. Nu. iv.
si haberi non possunt, hirundinum Nu. xxv.
Cranii hum. ℥. i.
Castor. ℥. ß. Rad. pæon. quart. i.
Sem. ejusdem ℥. i. Scyll. præpar. ʒ. ii.
Visci quern. ℥. ß.
H. rut. hyssop. an. M ii.
betonic. majoran. salviæ,
Fl. rosar. lavendul. an. M i.
Cinamom. ʒ. ii.

Carid-

Gariophyll. Nucis mosch.
Cubebar.
Piper. an. ℨ. i.
Vini malvatic. lib. iii.
Aquarum lilii convall. florum tiliæ aa.
℥. ii.
Aq. vitæ ℥. i. macerentur per horas tantum aliquot, ne corrumpantur, destillentur: datur ab ℥. ß. ad ℥. i. præservationis gratia. Epilepticos y. in Paroxysmo exhibita, excitat.

2. *Spiritus Antapoplecticus.*

℞. Spiritus Sangu. Microc. dephlegmati & ter rectificati lib. ii.
Infusi fl. lavend. lib. ß. misce & destilla per B. ad medietatem: idem repete tertia vice, deinde adde Spir. V. rectific. ℥. ii. serventur in vitro bene clauso.
Dosis à g. iv. ad vi. usque xx. cum vehiculis convenientibus. Valet ad curandam Apoplexiam & Paralysin in principio statim, præmissis Universalibus, administratum: & in Asthmate & Pleuritide cum decocto pectorali conducit.

3. *Specificum Antepilepticum.*

Hoc habet *Poppius p. 65. l. c.*
℞. Rad. pæon. pyrethr. an. q. pl. affunde Rorem Maialem & destilla per B. aquam: deinde
2. ℞. Sanguinis Hum. à Phlegmate suo bene purgati, ℥. iii.
Spiritus Vini lib. ß. & hoc misce, & destilla per Baln.
Tertio cum Spiritu V. de Cranio humano & Visco q. extrahatur Spiritus subtilissimus. Hos tres spiritus misce, & per aliquot dies circula: de qua mistura ℞. ℥. i. Spiritus Vitrioli ℥. iii. Misc. & patienti in die ter singulis vicibus ℈. ß. in Vino exhibeatur.

4. Aqua-

4. *Aqua Vitæ Microcosmica.*

Hæc apud *Mylium in Antidotar. p. 514.* reperitur, & sic paratur.

℞. Sanguinis Hum. lib. i. separa à Phlegmate.
Salis Tartar. probe depurati ac defæcati tantundem.
Vini circulati tantum, ut ad duos digitos emineat. Misce, & digere per mensem; deinde destilla per alembic. & exibit liquor flavus cum pauco oleo, sublimabitur etiam Sal, quæ tria seorsim separabis. Liquorem solummodo recipies, & cum fol. Hellebor. nigr. ac melissæ macerabis, ac vicissim rectificando destillabis, sic constabit pretiosus liquor, ac sanus: ejus odorem, si placet, promovebis cum gr. i. ambræ & ii. moschi.

Hæc aqua nobilis dicitur vehiculum esse, qua Aurum potabile, Aurum vitæ, Mercur. Vitæ, solutiones gemmar. metall. ac mineral. appropriamus: Diaphoresin præstat maximam, curat interna & externa.

5. *Mumia vitæ.*

Quam Chymici nonnulli abutantur voce Mumiæ ex capitulo de Mumia patebit: interim & Sanguin. Hum. præparatione Mumiam elici posse, non veram, sed quæ viribus ei respondeat ex seq. descriptione constat: quæ ab aliis mutuata reperitur apud Myl. l. 5. Basil. Chym. p. 623.

℞. Sanguinis ex homine valente & sano extracti q. pl. lento igni arefieri curabis in sartagine testaceo vernice illito, indefinenter agitando, dum in pulverem siccum, & fusci coloris redigatur, tum.

℞. Istius pulveris ℥. xii.
Aloes succotrin. ℥. ii.
Myrrhæ elect. ℥. i. ß.

Hæc

Hæc tria simul in pulverem terantur, & cribro excernantur: deinde succo citrorum clarificato. F. massa, quæ in scutella vitrea dissolvatur cineribus calidis imposita, ut exhalet humiditas succi: demum frigescere sinatur & asservetur. Hanc haut secus ac pretiosam aliquam gemmam servabis.

Mumia v. dicitur 1. quod Sanguis ex homine vivente extrahitur 2. quod Sanguis verum est Elixir humani corporis: receptaculum Spiritus Vitæ: verum Ens Microcosmi: vitalis omnium membrorum tam grandium, quam parvorum essentia: in summa, fons infinitis arcanis scatens. Medicus enim, cui eam rite præparare, & uti convenit, administrare novit: is ea tantum non omnes morbos, qui ex sanguine proveniunt, feliciter curaverit. Ex hac Mumia duo Mercurii, duplex Sulphur, duo Salia substantia in proprietatibus plane differentia, separantur, quæ non in Medicina saltem, sed & in Chirurgia locum haut postremum jure obtinent. Ex hac sequens componitur Antidotus.

℞. Aq. Vitrioli secund. ℥. xxx.
Rad. Chelidon. in umbr. siccat.
angelic. odorat. an. ℥. iv.
H. Veronic. sicc. cum fl. ejusdem Miiij.
Aqu. ardent. ex bacc. Junip. rectific.
℥. xii.
Mumiæ vitæ ℥. iv.
Opii Thebaic. præparat. ℨ. iv.
Croci opt. ℨ. ii.
Olei succin. alb. ℨ. i.
Spiritus Vitrioli cordialis. ℨ. x.

Aquam-ardentem ex baccis Juniper. sic parabis. ℞. Ligni Juniper. abrasi lib. v. Aq. baccar. Junip. bociale unum, infunde per horas xxiv. & per B. subtiliorem partem destilla. Opium vero sic præparatur. Incide Opium minute, & laminam ferream calefacito: postea tantillum succi arantiorum acerb. insperge, & ferro subinde eousque versa, dum sumpto pauxillulo & refrigerato, videas, num ita induerit, ut pulverisari possit: ne tamen comburito.

Totius

Totius antidoti compositio hæc est. Radices & herbæ aliquantum contunduntur: postmodum in aquam Vitrioli vitreo vase contentam, immittuntur. Vas bene occlusum per octo dies in F. E, ad digestionem sepeliatur; ita, ut nullus expirationi locus fiat: postea ex fimo eximito, & per Cineres lento igni omnis humiditas destilletur. Liquori huic destillato aqua ardens Juniperina affundatur; additis Mumia & opio pulverisatis, Croco, Oleo succin. & Spirit. Vitrioli; quæ omnia circulatorio inclusa, ascendant totum mensem, & vel in arena, vel in Sole circulentur, postea summa cum diligentia subtile à spisso per inclinationem separetur; quod instar balsami pretiosi ad usum servetur.

VIRTUS.

Liquor iste antidotum contra pestem, aliaque Veneni genera præsentaneum est: bis aut ter in septimana mane jejuno stomacho exhibetur. Dosis est à semiscrupulo ad integrum pro vice plus minus, pro ætate cujusque & infectione dominante. Calidæ complexionis hominibus cum aquis destillatis; frigidæ autem cum Vino, aut jusculo propinatur. Infecto dosis duplo augeatur, sudore per duas aut tres horas in lecto provocato, & singulis Octo horis semel repetatur, donec ex indiciis constet, venenum à corde simul omne depulsum: postmodum omni mane præservationis loco, liquorem istum sumere pergat infectus, donec plane fuerit curatus, ne venenum denuo ad primum suum Centrum redeat. Liquor iste venenum in cutem revocat, maturat, & emarginat.

6. *Aqua Sanitatis*.

Hanc ex notis Hartman. describunt *Gluckrad. & Myl. Antidotar.* p. 514. Veteribus autem sic dicta fuit, ob insignes, quibus pollet, virtutes.

℞. Sanguinis Hom. juvenis & carnosi lib. i.

Succi

Succi flor. chelidon. major. mellis virgin. prius bene despumati an. lib. ß.
Salis torrefacti M. i. misce addendo
Pulver. macis, caryoph. Zing. cubeb. galang. cardamom. mastich. granor. Junip. Cinam. an. ℥. i. ß.
Xyloaloes ʒ. v.

Moschi opt. ambr. gryf. in aq. rosar. dissolut. an. ℈. i, recondantur omnia in phiola Hermetice clausa, eandem subtus terram defodiendo per mensem unum: postea destilla; & quoslibet liquores auctis Ignis gradibus successive egredientes serva. Iisdem usibus inservit hoc destillatum, quibus Balsamus sanguinis Hom. nisi quod hic omnia efficaciora.

7. *Liquor Pleuriticus.*

Descriptio hujus sequentibus tradita apud *Mylium lib.* 5. *Basilic. Chym. pag.* 617. reperitur.

℞. Aq. Vitriol. secund. ℥. ix.
Succi Cardui ben. balsamic. ℥. vi.
Aquæ Sanguinis Hum. per Cinerem dest. ℥. iv.
Spirit. Vitriol. acid. ʒ. ii.

Succus Cardui bened. balsamicus sic extrahitur. ℞. Succi Cardui b. lib. i. aquæ vitæ à Phlegmate purgatissimæ ʒ. iii. infunde in vas vitreum bene obturatum, Solique vel alii loco calenti ad dies xxxvii. expone; deinde per chartam cola, & serva. Atque hæc est ratio, qua omnes quarumcumque herbarum succi essentiari possunt, ut nunquam corrumpantur, nisi retecti fuerint in loco calido, ita, ut spiritus Vini exhalet. Hyeme frigori expositi instar turbidi lactis congelascunt; calori restituti dissolvuntur, nec calore, nec odore, nec transparentia, nec subtilitate, nec efficacia vel minimum deperdita.

Compositio liquoris est hæc. Liquores omnes simul

simul commistos in vase vitreo totum triduum in arena circulato; hinc residentiam turbidam succi separati videbis, postmodum liquorem per chartam cola: qui limpidus erit, instar auri, serva ad necessitatis occurrentiam, optime obturatum.

VIRTUS.

Liquor iste vires contra Pleuresin permagnas habet, considerandum tamen hic quoque vulgatum illud, *melius est prævenire, quam præveniri.* Id quod fiet, si mox, ubi vel leve aliquod indicium morbi istius senseris, affecto duas drachmas liquoris istius cum jusculo calido illico propina; sudorem nulla interjecta mora, provoca, venamque Basilicam ex opposito punctionis incidi cura; immo, si necessitas postulat, ex utroque brachio, sanguinem, ea quantitate, quam fert cujusque complexio, elice; sed & ipse liquor duplo aut triplo urgente necessitate augeri potest. Liquor iste sudorem, lotium & sputum ciet, & specifica sua virtute morbum illico in suo Centro indagat, & sanguinem in suo fluxu retinet, Sumptus interdum per intervalla mane grassante Pleuritide rarum Elixir præstat, quo corpus ab internis apostematibus & suppurationibus defendatur. In conquassatione totius corporis sanguine extra suum Centrum per juncturas aliquas excurrente, cum infusione betonic. aut fl. hypericon. millefol. pentaphyll. & similibus mane & vesperi propinatus sanguinem illum ad locum suum retrahit: coagulatum mundificat, & consolidat. In fracturis ossium cum infusione consolidæ aut serpentariæ porrigitur, quæ infusio cum Vino, aut jusculo fieri debet.

ARCANUM in Contractura sequens cum SANGUINE MICROC. delineat Poppius l. 3. Thesaur. med. pag. 618.

℞. MUMIAM ex viva Mumia extractam i.e. ex Sanguine humano. Accipe autem primum Spiritus

Spiritus Vini optimi lib. ß. huic stillantem aut erumpentem ex Vena hominis sani sanguinis admisce adhuc calidum anatica proportione: deinde ℞. Theriac. solutæ cum Spiritu Vini, utriusque lib. dimid.

Spiritus Terræ sigillat. ℥. iv.

Hæc omnia invicem misce, ex Retorta destilla, & secunda vice rectifica, & serva. De qua ʒ. ii. exhibentur. Per sympathiam quandam curat Contracturam, Spiritus enim Vitæ in sanguine delitescens, in corpore restitantem corroborat, quo Tartarei humores eo felicius absumantur.

8. *Oleum Cœleste, seu Arcanum Sanguin. Human.*

Describitur & commendatur idipsum à Paracelſ. lib. 3. de Natur. rerum, qui est de conservatione rerum naturalium

℞. SANGUINIS HUM. puri & synceri lib. ii. relinque in vase ligneo non metallico, donec omnis aquositas sponte sua, sine ulla alia motione separata fuerit, quam decanta; super sanguinem coagulatum, & ad magna quoddam redactum funde Salis comm. spiritum s. Aquam, ut vocat Paracelsus; & continuo hic cum sanguine mistus spiritus, rubori pristino eundem restitutum postea nunquam putrescere sinit, sed perpetuo conservat in vigore. Hoc arcanum, fæcibus, post aliquot dies, remotis, vocat Paracelſ. Balsamum super omnia Balsama.

Ejus usus est in renovando sanguine per universum corpus: ideoque in Hydrope, qui sanguinis stagnantis, & quasi corrupti Cataracta est, omnium maxime commendabile fore, dubium non est ullum. Est enim Hydrops à Sale Microcosmico resoluto, ac limites suos egrediente, sanguinisque massam à statu integritatis in pejorem aquam velut reponente; quia vero ad Arcanum hoc imprimis Salis spiritus assumitur, isque alias in Hydropis, morbi nempe contumacissimi eradicatione

catione felicissime usurpetur, consequens est, mundificationem sanguinis ab utroque, nempe, à Spiritu Salis, & sanguine pro Spiritu Salis rectificato, multum adjutam iri.

Cæterum præparatio Spiritus Salis ad hanc extractionem necessarii docetur à Paracelſ. in Chirurg. mag. pag. 120.

℞. Salis Comm. albissimi, aliquoties fusi, q. pl. (ideo autem fundi debet ut sic Salis spiritus arsenicales pereant.) Illius pulverem cum succo raphani expresso misce, & agitando solve, post resolutionem cum silicibus vel laterum pulvere ad Salem triplo vel quadruplo ex Retorta Igne nudo, & postremo vehementiori destilla; destillatum cum optimo Spiritu Vitrioli rectificato analogis partibus conjunge, & quinquies per cornutam rectifica. Hoc spiritu etiam Tinctura Solis extrahi potest.

Aliud, quod & Arcanum Tartari dicitur. Hoc ex triplici Sale s. Tartaro componitur, Minerali sc. Vegetabili & Minerali; cujus genuina descriptio hæc est.

℞. Tartari albiss. lib. i. Nitri finissimi lib. ß. pulverisentur tenuiter, & affuso alcohole Vini correctissimo, ut quatuor digitos supernatet, obstructis diligenter orificiis, macerentur in B. triduum integrum; postea per alembicum destilletur leni igne Spiritus V. qui simul & seorsim cum residentia servetur. Deinde Mense Majo accipe Sanguinis hominis sani, & integre juvenescentis, q. s. exsicca in arena, donec in pulverem redigi queat: ex quo cum Sp. V. antea ex Tart. & Nitr. destillato extrahe Tincturam crebris affusionibus & destillationibus; donec nempe libram semis extracti Sanguinis habueris: residuas à sanguine feces, tanquam inutile magma abjice: ab hac Tinctura leniter per alembic. Sp. V. evoca, & tandem Balsamum s. Mumiam sanguinis in fundo restitantem, in Cineribus exsicca, ut pene pulverisari possit. Denique Spiritum Vini hac destillatione evocatum affunde reservato Tartaro & Nitro simul junctis, &

relinque

relinque aliquandiu, ut puriores partes in Spiritum Vini transeant, impuriores v. relinquantur, quibus invicem probe beneque disjunctis, rejectis nempe fecibus, impraegnatum à Tart. & Nitr. Spiritum junge cum sanguinis pulvere, & juncturis vasorum bene clausis statue in capaciori Cucurbita in B. per duodecim dies, postea paululum bulliente B. per alembicum abstrahe menstruum: remanente in fundo pretioso arcano Tartari.

Ejus guttulae aliquot usque ad ℈. ß. exhibitae, subinde repetita eadem dosi, obstructiones omnes totius corporis expedit, inprimis Hepatis & Mesenterii, Hydropem aufert, febres, inprimis Quartanam, tollit, Pleuritidi unice auxiliatur, sitim levat. Externe Herpeti, ac quibusvis aesthiomenis, pustulis faciei, morpheae non absimilibus, mentaque illitum, mirabiliter medetur.

9. *Ceratum ex Pelle Arietina.*

Hoc in *Pharmacop. August. pag.* 260. sequentibus delineatur.

℞. Sanguinis Hominis ruffi ℥. ix.
Lithargyr. lapid. haematit.
Sanguin. dracon. boli armen. Opii,
Mastichs ammoniac. mumiae,
Galban. thur. costi, lumbricor. an. ℥. ß.
Picis nigrae s. navalis.
Graecae s. Colophon.
Cerae alb. rubr. an. ℥. i.
Rad. consolid. major. minor. an. ℥. iv.
Rosar. rubr. myrrh. aloes an. gr. xviij.
Succi hypocistid. gallar. immaturar.
Balaustior. Aristoloch. rotund. an. ℥. vi.
Visci querni, Terebinth. an. ℥. ii.

Cujus praeparationis modum vide loco allegato. Valet autem ad membrorum luxationes; praecipue v. Herniosis adhibetur.

10. *Linimentum Sarcoticum.*

Fabritius ab Aquapend. p. 820. de Vulneribus cum sang. Hum. linimentum sequens componit.

℞. Gummi arabic. aloes an. p. i.
Thuris resinos. p. ii.
Sanguinis humani pulverif. p. ß. misce cum albumine Ovi ad mellis consistentiam.

Renodæus in dispensat. l. 3. p. 570. dicit, quosdam sanguinem humanum admiscere emplastro Enterocelæ dicato.

11. *Sal Ammoniacus.*

Denique & hujus Salis confectionem nonnulli cum Sangu. Human. attentant, sic enim *Fallop.* l. 3. *secret.* p. 185.

℞. *Sanguin. human.* lib. i.
Salis commun. lib. ii.
Aq. fontanæ lib. vi. Hæc invicem misce, donec Sal omnis liquescat; filtra, inde coque tandiu, donec aqua fuerit absumpta: residuum in fundo serva: id dicitur Sal armoniatum.

Obsigno tandem hoc caput illo, quod habet *Gal.* l. 10. *de simpl. medicam. facul.* p. 148.

Sanguis, inquit, suillus humano, maxime temperie, est similis; siquidem & carnes suum humanis sunt similes: comperti enim sunt Hospites & coqui complures, qui humanas carnes pro suillis venderent: tametsi, qui eas edissent, nullum omnino discrimen percipere potuerint. Quin & ipse narrantes audivi viros fide dignos, sese in diversorio publico jus esitasse delicatum cum carnibus suavissimis: cæterum, cum jam pene saturi essent, invenisse digiti partem anteriorem, quæ videlicet ad Unguem est; quo perculsi, & metuentes eos, qui agebant in diversorio, ne se quoque vorarent, ceu ei rei assueti, protinus illic quidem exiere, ac vomitu redditis, quæ ederant, ita iter denuo ingressi sunt;

sunt; itaque jure quispiam existimet, suillum sanguinem humano esse simillimum; quisquis ergo sanguinem humanum morbo alicui utilem esse ait, in suillo primum id comprobet; & si non eandem, similem saltem actionem ostendet. *Idem l.3. de alim. facult. p. 50.*

Si quis tamen & Hircinum seu Cervinum sanguinem substituere & exinde inprimis Oleum conficere voluerit, consentientem habebit Hartman. in notis Beguin. & Andernac. l. c..

CAP. XV.

DE CALCULO.

DE CALCULI in corpore Human. generatione hoc capite pluribus agere, lubens supersedeo, cum ea in Voluminibus Medicorum abunde tractetur. Tribus vero, quod dicitur, verbis, de ea disserere placet. Si quid est in Macrocosmo, in Microcosmo quoque observare licet, plurimum sane lucis Mineralium cognitio ad Lapidum & Calculorum generationem, suppeditabit. Videmus in Thermis, aliisque fontibus, typhos ac styrias lapideas concrescere, & in montium cavitatibus ac speluncis è succis stillante aqua, styrias tales, immo columnas prægrandes concrescere: quin & fontes & lacus reperiuntur, in quibus stirpes, ossa, & alia injecta, insigni quadam Metamorphosi in lapides commutantur. Quod certe Soli calori aut frigori, multo minus tantum siccitati asscribi poterit; alias enim & aliæ aquæ, eadem caloris & frigoris potentia pollentes, eundem ederent effectum. Videmus in ipsis Urinis lapides concrescere; si enim Urinæ (ex salso sc. & Nitroso humore constantes) præcipue magis Salsæ, acres, limosam lutosamque materiam continentes in matulis asserventur, sabulosa materia iis adhærescit, & diutius si ibidem retineantur, in lapideam quandam & Tartaro, vel calculis, qui interdum ejiciuntur, non dissimilem con-

concrescit substantiam. Quare ista causa generandorum lapidum ejusmodi vix est, quæ tantum ab externo frigore, vel calore in lapideam mutetur duritiem, sed internum aliquod cirationis & coagulationis requiritur principium, ita tamen, ut Renum arenosa calculosaque constitutio accedat, quæ facit, ut materia illa Tartarea à sanguine secreto in sero delitescens, & ideo ad Concretionem in Renibus & Vesica aptior, coagulationem subeat: Unde, si præcavere velis, ne Calculus de novo generetur, ea exhibeas oportet quæ & materiam è qua Calculus generari possit, evacuent, abstergant, & quæ dispositionem illam Renum tollant.

In omnibus autem fere corporis nostri partibus generatio fit Calculi, in Cerebro, in palpebra, sub lingua, in tonsillis, & faucibus, gutture, pulmonibus, circa basin arteriæ magnæ, in arteriis Cordis, mammis, Ventriculo, Intestinis, Mesenterio, Vena porta, Hepate, & ejus tunica, vesicula fellis, Liene, Venis Hæmorrh. umbilico, Utero, glanduloso corpore vesicæ adnato, Ureteribus &c. Vide *Clariss. Senn. in Instit. pag. 228. Unzerum de Nephritid. Schenck. l. 3. obs. 358. Donat. lib. 4. cap. 30. Hildan. cap. 5. obs. Vesal. lib. 5. de fabrica human. corp. cap. 9. Dodonæum in obs. Forestum & alios.*

USUS.

Ut gravissimos CALCULUS in corpore excitat cruciatus, ita ut non tantum varia sæpissime inde excitentur symptomata, sed & vinculum vitæ nostræ dolores Nephritici & similes à calc. provenientes, disrumpant; ita & eidem Calculo vis quædam concessa est dissolvendi calculum. Tanta enim est Creatoris nostri Clementia, quod & in ipsa morbi mortisque causa, causam simul sanitatis & vitæ delitescentem demonstret. Sic sane similibus similia curantur: non tam sua duritie at-
tenendo

terendo & afficiando materiam, ut quidem opinatur Mercatus, sed potius interna quadam vi, à Spiritu Salino proficiscente, eam dissolvendo: qualem operationis modum Coralia in Spiritu Salis optimo soluta, demonstrant.

Utuntur v. CALCULO MICROCOSMI præstantissimi Medici, inter quos *Christoph. Wirsung.* ejus in pollinem redacti quotidie ℨ. i. ex aqua Saxifrag. vel Raphanor. exhibet.

Petrus Hispanus & *Gattinaria* dicunt, Lapidem humanum potu jejune datum, frangere lapidem.

Faventinus scribit, quosdam affirmare, Lapidem per lotium ejectum pulverisatum & exhibitum in aq. Saxifr. medicinam esse laudabilem, & à proprietate educere lapidem. Se v. experientia certa edoctum, exhibere cum aq. flor. caryoph. sylvestr. vel aq. Polygon.

Platerus tr. 2. pract. p. 573. pulverem ex æquis partibus Lapid. Microc. & Judaici componit, & cum Hydromel. vel aq. fœniculi contra Renum Calculum exhibet: ab aliis quoque, ut *Pans. de Nephr. p. 144. Henric. Petr. tract. 2. Nosolog. pag. 330. Hollerio, Fuchs. Jacob. Sylvio* & aliis commendatur.

Compositum pulverem Lithontripticum magnarum virium ex Calc. H. describit *Weickard. in Thesaur. Pharmaceut. pag. 285.*

℞. Nucleor. persic. exsiccat. ℥. ß.
Gland. torrefact.
Ossium mespillor. an. ℨ. ii.
Sem. alkekeng. genist. petrosel.
leviftic. nastutt. milii Sol.
lappæ minor.
fœnicul. melon. an. ℨ. i.
Succin. alb. C. C. usti,
maxill. lucii pisc. ocul. cancr.
Calculorum ab ipso ægro excretorum,
Lapid. Judaic. Spongiæ an. ℈. ii.
Ciner. passer. Troglodyt. s.
Reguli,
lumbricor.

 sanguin.

sanguin. præpar. hirci an. ʒ. i.
Rhabarb. elect. ʒ. i. ß.
Zing. Cinam. Piper. an. ʒ. ß.
Sachar. cand ℥. iv. F. pulvis subtilissimus, qui summe efficax erit, si ʒ. i. cantharidum, abjectis harum extremitatibus adjiciatur; capiat coch. i. cum decocto convenienti. Et si dolorem mitigare volumus, Sem. hyosciam. ʒ. i. ß. addere possumus.

Non vero tantum Crudus, sed & præparatus propinatur: sic enim *Petræus l. c.* CALCULUS, inquit, ex humano corpore excectus, vel excretus cum Sulph. & Nitro calcinatus, & cum succo Berberis depurato, extractus, potentivum est ad omnes calculos totius corporis. Hujus præparationem *Crollius pag. 247. Basil. Chym.* suppeditat, & talis est.

℞. CALCULOR. Human. sufficientem quantitatem, calcina igne primum moderato, post validiore: pulverisatum cum Sulphure & Nitro æqualibus portionibus reverbera, donec in pulverem albissimum vertatur. Solve cum succo Berberis clarificato, in leni Cinerum igne, donec totus solutus sit: rejectis exiguis fecibus abstrahe menstruum per destillationem vel evaporationem, & manet Sal ipsum in fundo, qui tandem in marmore in loco frigido humido expositus, vertitur in liquorem.

Hujus g. vi. ad ℈. ß. in Vino exhibitæ Luna decrescente, potenter ipsum Calculum in corpore humano sospitantem solvunt, & per Urinam expellunt.

Liquor s. Oleum ejusmodi exinde parari potest, ejusdem usus earundemque virium.

℞. Pulver. calcul. ℥. i.
Olei Tartar. per deliquium facti ℥. ii. misce & in matratio digere in B. per quindenium, postea eodem temporis spatio exsicca lento igne arenæ, extremo pulverisa: affunde Spiritum Vini, quem postea leni B. calore evoca, & remanebit oleum.

Cum hoc liquore componit *Crollius in Basil. Chymic.* medicamentum quoddam specificum omnia se-

ptem membra principalia respiciens, & est tale:

℞. Liquoris Calculi Microcosmi,
Crystall. an. ℥. i.
Spirit. Vitriol. ver.
Salis Cranii Hum. an. ℥. ß.
Ol. succin. ter vel quater per aquam majoran. rectif. ʒ. ii.
Tinctur. Croc. Oriental.
gran. alcherm. an ʒ. ii.
Salis Margaritar. Coral. an. ℥. i.
Ol. Cinam. macis an. ʒ. ß.
Lactis Sulphur. ℥. i.
Extracti spodii ℥. i. ß.
Magister. Tartar. ℥. i.
Antimon. diaphoret. ℥. ß.
Tinctur. Croci Martis,
Chelidon. Rhabarb. an. ℥. i.

Cum extracta, & inspissata Theriacæ Essentia, melle Juniper. conserv. rosar. addendo pro libitu sach. rosac. redigantur omnia supradicta diligenter mista in justam Electuarii consistentiam, addita mosch. ambr. an. ʒ. i.

Usus ejus est in deploratis morbis, ubi nec ægro, nec ipsi medico constat dé genere morbi.

Dosis à gr. 5. 6. 7. usque ad 10. in Vino, vel Aq. Cardui b. vel alia aq. appropriata.

Cum calcinato Calculo Microc. Poppius sequens parat Nephriticum, l. Thesaur. medic. p. 528.

℞. Calculi Microc. calcinati,
Salis Oculor. Cancri,
Lapid. duri, seu Crystal. Silicum,
Judaic. Lyncis, Spongiæ,
Aquil. Capricorn. Persæ piscis,
Sal. Tartar. Ludi Coral. rubr.
Perlar.
Spirit. Vitriol. Salis Tartar. destilla.

Terræ sigillat. Resolv. ex his singulis vel omnibus, q. pl. Aceto destillato, toties repetendo effusionem, donec omnes soluti sint : ac inde para Salem, Acetum abstrahendo.

Dosis à ℈. i. ad duos.

Hartmannus praxi suæ, quam in manuscript nonnulli habent, secretiorem quandam Calculi præparationem adjungit, quæ sic habet.

℞. Pulveris Lapidis Microc. p. i.

Carbonum præsertim faginorum p. ii. misce invicem: postea in tigillo superne tegula tecto, ure in fornace figulina per 24 horas, & spiritus carbonum duritiem lapidis beneficio Ignis emollit: ipsi v. carbones non absumuntur. Huic misturæ affunde aquam ferventem, vel coque in eadem, & pulvis Calculi solvitur in aquam citrinam, qui color est à Sulphure fœtido ipsius Ludi, s. calculi. Si quid residuum fuerit ab hac solutione, denuo exsiccetur, & adjecto pulvere Carbonum recenti, vicissim calcinetur, ut antea. Solutiones omnes evaporando redige in Salem: denuo conjunge cum an. pulv. carbon. & vicissim calcin. item solve in aq. comm. ebulliendo, ut sincerior pars post evaporationem repetitam transeat in Salem candidissimum sæpius in Crystallos abeuntem, si in loco humido frigido aliquandiu repositus fuerit. Hunc elegantem Salem conjunge cum Spirit. V. optimo, & ex Retorta per multa cohobia tamdiu destillando urge, donec penitus cum Spiritu V. transierit. Postremo Spiritum V. in leni B. aufer, & relinquitur oleum Ludi, s. calculi humani.

Hujus guttæ à tribus ad duodecim in liquore convenienti aliquoties exhibitæ singulis diebus tantum semel, omnes obstructiones totius corporis aperiunt, inque mucilaginem pene sine omni dolore calculum compactum redigunt, & ad expulsionem disponunt.

Hactenus de Medicina partium Microcosmi Viventis.

MICROCOSMI MEDICI LIBER SECUNDUS.

De medicina è Cadavere Humano desumenda præparanda & usurpanda.

CAPUT PRIMUM.

DE CUTE.

CUTIS, Emunctorium Vniversale dicitur, mediam obtinens Naturam inter Carnem & Nervum; in cujus constitutione pars spermatica prævalere videtur, cujus ut plurimum colorem repræsentat. Crassitiem aliquam obtinet, non tamen talem, qualis in reliquis reperitur animalibus, quæ & à carne sine dolore avelli nequit, cum omnium fere vasorum extrema in eam desinant. Spiracula ejus vix apparent, quia Epidermidis interjectu occæcata: in excoriata sunt inspicienda. In humida cute minus patent quam in arefacta, quoniam absumpto humore, quo madescebat, tenuis & pellucida evadit, ut ex ea quendam Persarum Regem fenestras comparasse, referat *Orobas. comm. in aph. Hipp.* ut recitat *Amatus Lusitan. C. 4. curat.* 100. Sed in ista tenuitate insigne quoque robur obtinet, ut ex pelle humana Zischkæ Bohemi, velut ex Corio bellumo, Tympanum resonans confectum fuerit, ut docet *Æneas Sylv.* Et pellionum arte apparata, crassa & intus tomentosa evadit, similis omnino pelli Cervinæ, quam Hispani & Neapolitani parare solent, ut ex ea calceos æstivales conficiant, & gestent: teste eodem Amato. Inter omnia Coria, inquit

inquit *Herod. l.* 4. hominum fere & crassum maxime, & candore splendidum, multi apud Scythas totos homines excoriatos, & supra ligna extensos, supra equos circumferunt: alii pro amiculis utuntur, &c. Hinc & Cambyses ea usus est in terrorem judicis, cujus parenti, injusta judicia exercenti, viventi adhuc cutim detraxerat, & solio, cui filius insedit, induxerat: similem pœnam minatus filio, si vestigiis parentum insisteret.

In Corpore quidem vivo Cutis ad varios à Natura destinatur usus, ut ex Anatomicis patet: qua & Medici nonnulli, Taleacotii præcepta observantes, ad curtorum reparationem utuntur. Detracta vero non contemnendos in Medicina exhibet usus: Si enim rite dextreque præparetur, commendatur,

1. In Convulsionibus Epilepticis, si pars aliqua cutis vel universum corpus, vel etiam collum cingat; sic enim in Viro quodam sexagenario aulico Epilepsiæ paroxysmum sedatum esse, memini.

2. In Convulsionibus aliis, Sic *Hildanus Centur.* 3. *observat.* 9. *pag.* 53. in convulsionibus brachii sinistri cum maximis doloribus post inunctionem brachii & Nuchæ cum oleis convenientibus, applicat circa carpum cingulum ex corio humano; unde & convulsiones sedatæ sunt.

3. In Difficili Partu mulierculæ ad eam, tanquam sacram anchoram, confugiunt, & parturientis ventrem ea obligant.

4. Ad Ariduram & contracturam Nervorum articulorumque nonnulli ex Cute humana chirothecas conficiunt, sicque plurimum juvare asserunt.

5. In Colica abigenda quidam ea corpus cingunt.

6. In Vulneribus Cranii *Toppius l.* 1. *Thesaur. med. p.* 148. sequens parat.

℞. Cutim humanam nondum præparatam, coque ex ea viscam limosum, cui admisce ossa humana combusta.

CAP.

CAP. II.

DE PINGUEDINE.

PINGUEDO ex sanguinis puri elaborati & absolute cocti portione oleosa, tenuiore & aërea è venis tenuioribus, roris instar, exsudante, generatur, quæ intrinseca sua & pinguifica facultate coalescit. Hæc, si mediocriter sese in corpore nostro habet, non parum utilitatis præstat, dum partes tuetur; dum spatia inter musculos, vasa & cutim vacua replet, corpusque album, pulchrum & æquale reddit; dum vestis instar calefacit, caloremque nativum fovet, effluxum sua viscidıtate prohibendo, crassitie ac densitate meatus occludendo, ne frigus penetrare valeat; dum & interdum in summis inediis alimentum exhibet. Verum, si & eadem excedat, molestiam haut exiguam creat: immo & periculum suffocationis interdum minatur.

Philippus Ingrassia tract. 1. *de Tumorib.* præter naturam affirmat, se nonnullas vidisse mulieres, ita obesas, ut progredi, atque sine alicujus adminiculo à cubili vel terra surgere haut potuerint. De Illustrissimo quodam refert Donatus l. 1. histor. medic. mirab. c. 1. qui ita obeso fuit præditus corporis habitu, ut in ingentem molem excrescente pinguedine, carnis pinguedinisque plexuræ circa collum & in abdomine quam maxime conspicerentur: in quorum medio, cum æstatis tempore dolere cœpisset, convocatis ministris, quidnam mali subtus latitaret, aspicerent mandavit: qui primum exesam cutim invenere, postmodum procedente tempore erumpentes vermiculos conspiciunt: quod malum, cum nullis præsidiis profligari potuisset, tandem strenuum heroëm neci tradidit.

Qui vero excedens Pinguedo ad somnolentiam faciat & disponat, præter quotidianam experientiam testatum facit Dionysius Tyrannus, qui præpinguis, & nimium obesus, sopore ita profundo fuit detentus,

ut nisi acubus pungeretur, non excitaretur, referente Athenæo: qui & postmodum obesitate illa suffocatus est, notante *Æliano l. 8. variar. histor. Vide Schenck. l. 2. observ. medic.* 22. *Forest. l.* 10. *obs. medic.* 72, 73.

Naturam habet admodum penetrantem Pinguedo, quod non tantum effectus illius attestantur, dum, ut postea dicetur, materiam compactam attenuat, dissolvit, absumit, doloresque figit: sed idipsum etiam confirmat id, quod notat Kornmannus in sepulchro Ducis Alexandri Florentiæ, quod, cum ex candidissimo marmore crassoque constaret, pinguedine tamen cadaveris transeunte fœdatum est: tum etiam basis decidentibus in eam guttulis columnarum. Sic & Alphonsi Avali, quamvis medicamentis plurimis tum sale ac sabulo siccatum esset cadaver, pinguedo transmeans plumbum in subjectas è loculo petias, decidens eas fœdavit.

USUS.

Ob insignem illam penetrandi vim quam à Spiritu Salis volatilis obtinet, maxime commendatur in plurimis affectibus, tale medium exigentibus: sed & aliis nobilioribus virtutibus prædita est.

Internus quidem usus Pinguedinis rarus est; Externus frequentior: Si tamen ea dextre parata sit, vel patienti inscio, vel etiam ipsi consentienti propinari poterit.

Gregorius Horstius Archiater Ulmensis in Epistola quadam, quam habet *Hildan. Cent.* 2. *pag.* 340. scribit, se cuidam ad sanguinem collectum dissolvendum expectorandumque, interius diebus aliquot matutino tempore Pinguedinem Humanam recentem in haustulo cerevisiæ ad Unciam dimidiam exhibuisse, quo remedio dolores & punctiones interne leniebantur, & sanguis concretus ad exitum præparabatur, ita ut consequenter per tussim & screatum concreti sanguinis frusta copiose satis & cum facilitate rejicerentur.

Alii

Alii usum ejus multis modis extollunt in Phthisi: verum cum, ut dictum, Natura humana à tali remedio abhorreat, vel patienti inscio cum cerevisia calefacta loco butyri exhibeatur, vel Pinguedo Canina dextre collecta & præparata, aut aliud conveniens Pharmacum substituatur.

Puello Epileptico aliquoties portiuncula Pingued. human. propinata fuit, unde pristinæ sanitati restitutus dicitur.

Henricus Schenis in Apothec. Spagyric. pag. 15. etiam destillatione præparat, dum inquit, Axungia hominis sani, & ultimo supplicio affecti, recens cum aqua pluviali destillata sæpius destilletur, non ingratum exhibet saporem: similisque est Pinguedini, quæ ex lacte muliebri colligitur, & Butyrum Microcosmi dicitur.

Externe frequentius adhibetur, & quidem in variis casibus

1. In doloribus.

Hos enim miris modis demulcet, materiamque ipsam attenuando, dissolvendo, discutiendo, aggreditur. *Hildanus Cent.* 3. *obs.* 75. infanti, cui tormina & dolores maximi, inquietudinesque continuæ aderant, ut sugere non posset, cujus venter & prædurus erat ac inæqualis, veluti si hinc inde lapides inclusi fuissent, præmisso Enemate linimentum hoc adhibuit.

℞. Axungiæ Human.
Ol. lilior. albor.
Pingued. gallin. an. ℥. ß.
Unguent. dialth. ʒ. ii. Misc.
F. linimentum.

Idem *C.* 3. *obs.* 59. in doloribus circa fundum vesicæ, & collum matricis, non neglectis aliis, hoc Ventrem, coxas & genitalia inungere curavit.

℞. Axungiæ Humanæ,
Ol. de vitell. ovorum,
amygdal. dulc. an. ℥. ß.
lumbricor. terr.
aneth. an. ℥. i. Misc. F. linim.

Idem c. 1. *obs.* 23. in doloribus gravissimis per totum brachium, ita ut de convulsione periclitaretur, sequenti partes affectas inunxit linimento.

℞. Axungiæ Humanæ,
Vulpin.
Olei lumbricor. an. ℥. i.
Succ. lumbricor. ℥. ʃs. M.
F. linim.

Idem *tractat. de vulnere quodam sclopeti pag.* 61. hoc habet linimentum anodynum, quo femur totum & os sacrum inunctum; quodque fere cum antecedente convenit.

℞. Pinguedinis Humanæ,
Ol. de vitell. ovor.
amygdal. dulc. an. ℥. i. ʃs.
lumbricor. vulpin.
aneth. rosar. an. ℥ i. m. F. linim.

Idem *c.* 3. *observat.* 100. aliud componit anodynum seq.

℞. Ol. rosac. ℥. ii.
lumbricor.
Axung. Hum. an. ℥. ii. misce.

Cataplasma discutiens, quod simul dolorem compescit, sequens habet *Weickardus l.* 4. *pract. p.* 568.

℞. Herb. malv. parietar.
abroton. an. M. i. ʃs.
Flor. chamomæl.
summitat. melilot.
Fl. sambuc. rosar. incarnat. an. M. i. Coquantur in Vino ad mollitiem, & pistentur: deinde brodio hujus decocti adde
Farin. fabar. lini tosti,
fœnogræc. furfuris macri an. ℥. i.
Ol. anethin. amygd. amarar. an. ℥. i. ʃs.
Unguent. populeon. ℥. i.
Pinguedinis Humanæ ℥. ʃs.
Spiritus Vini, aut loco hujus, quando adest inflammatio, substituc Aceti Vini quantum satis esse videbitur: quibus omnibus permixtis coquantur in sartagine ad formam Cataplasmatis, quod applicetur calide, & renovetur bis in die.

2. In-

2. In convulsionibus & doloribus.

Quidam ex infelici Antimonii usu post hypercatharsin nimiam doloribus maximis brachiorum & crurum, simul & convulsionibus &c. correptus fuit: huic *Hildanus*, ut videre est c. 3. pag. 549. præmisso Cordiali, brachia, crura, simul & spinam dorsi sequenti linimento calide inunxit.

℞. Pinguedinis Human.
ursi,
Olei lumbricor. an. ℥. ii.
amygd. dulc.
liliorum albor. violar. an. ℥. i. misce pro linim. unde dolores quidem optime remiserunt, sed is nihilominus ob humidum radicale violentia medicamenti absumptum, animam placide Deo reddidit.

Idem *cent.* 3. *observat.* 10. *pag.* 53. matronæ cuidam convulsionibus brachii sinistri cum maximis doloribus correptæ, brachium & nucham seq. inunxit.

℞. Ol. lumbricor. vulpin.
lilior. an. ℥. ii.
Philosoph. Terebinth. an. ℥. ß.
Pinguedinis Hum. ℥. i. Misc. pro Linim.

Hollerius l. 1. *de morb. intern. p.*78. in convulsione, Cervicem, spinam, scapulam seq. inungendam docet linim.

℞. Axungiæ Hum. ℥. i.
Ol. terebinth. lumbricor. an. ℥. ii. misce & simul liquefiant.

Horstius lib. 1. *obs. medicin.* 15. in Convulsione maligna, ad ulteriorem malignæ materiæ dissipationem & Nervorum corroborationem, sequens Cataplasma ad integram spinam ordinavit.

℞. Sem. lin. fœnogræc. an. lib. ß.
Fl. chamom. fol. salv. an. M. ii.
Castor. ℥. ii. Coque in aq. & Vini æquis portionib. adde
Ol. rutacei.
Adipis human. an. ℥. ß. F. Cataplasma, quod frequenter calidum applicetur.

Hil-

Hildan. tract. de Gangræna & Sphacelo adversus Spasmum ex repletione seq. præscribit linimentum, quo tota spina dorsi inungenda.

℞. Axungiæ Human. ℥. iii.
Ol. lumbricor. vulpin. an. ℥. ii.
Succi lumbricor. ℥. i.
Ol. terebinth. Ceræ,
de Castor. an. ℥. ß. misce, applicetur tepide.

In convulsione v. ex siccitate seq. pag. sequenti ordinat: quo similiter pars affecta, totaque spina dorsi inungenda.

℞. Pinguedinis Hum.
Olei violarum,
amygdal. dulc. an. ℥. ii.
Succi lumbricor. Wieri ℥. iii.
Misce & applica calide.

Si v. convulsio propter consensum, h. e. ratione doloris, inflammationis, tumefactionis trunci fuerit ad dolorem sedandum, inflammationem extinguendam & intumefactionem membri resolvendam ac dissipandam, sequens adhibet.

℞. Pinguedinis Hum.
Ol. Salv. aneth.
Ol. chamomæl.
vulpin.
Succi lumbricor. terrestr. an. ℥. ii.
Ol. Terebinth.
Aq. Vitæ an. ℥. i.
Croci ʒ. i. misce. F. linimentum.

Ambrosius Paræus sequens linim. in affectibus nervorum, præcipue ex causa frigida ortis, summopere laudat: quod similiter cum Pinguedine humana paratur.

℞. H. Salv. chamæpit.
major. rosmarin.
rutæ, lavendul. an. M. i.
Flor. chamomæl. melilot.
aneth. hyperic. an. P. iii.
Baccar. laur. Junip. an. ℥. ii.

Rad.

Rad. Pyrethr. ℨ. ii.
Mastich. assæ odorat. an. ℥. i. ß.
Terebinth. Venet. lib. i.
Ol. lumbricor. aneth.
catellor. an. ℥. vi.
Ol. Terebinth. ℥. iii.
Axungiæ Hum. ℥. ii.
Croc. ℨ. i.
Vini albi odoriferi lib. i. ß.
Ceræ q. s. Contundenda contundantur, pulverisanda pulverisentur: postea coquantur cum oleis & axung. in vase duplici. F. linimentum s. a. adde in fine Aq. Vitæ ℥. iii.

3. In Paralysi.

Glandorpius in Specul. Chirurg. p. 107. proponit curam, qua, adhibita inter alia Pinguedine humana, cubiti & totius manus motus maxima cum felicitate recuperatur, Prius sequens fomentatio instituta.

℞. Rad. alth. rec. alth. major. an. ℥. i. ß.
H. alth. malv. violar. an. *M.* i.
Salv. major. an. *M.* ß.
heder. terr. absinth. comar. hyperic. an. P. iii. bulliant simul in s. q. aquæ communis. Deinde hoc inungebatur linimento.

℞. Ol. lumbricor. terrestr. rosar. an. ℥. ß.
Vulpin. lil. albor. an. ℨ. iii.
Chamom. Unguent. dialth. cum gumm.
Axungiæ Humanæ an. ℨ. ii. *Misce pro* linimento.

Fomentatione facta, & inunctione, apponatur sequens Emplastrum super alutam distentum.

℞. Cerot. Oxycroc. ℥. ß.
Empl. de melilot.
mucilagin. an. ℨ. vi.
Cum s. q. Axungiæ Humanæ misce. F. linim.

Antiparalyticum Unguentum Anserinum seq. habet *Senn. l.* 1. *pract. p.* 549.

℞. Anserem veterem pinguem, suffocetum,

tur, deplumetur, & exenteretur. Exenterato inde

Ceræ flavæ, Butyri ovilli,
Salis commun. an. ℥. ii.
Pingued. vulpin. ℥. iii.
cati sylvestr. ℥. ii. ß.
porcinæ ℥. ii.
Axungiæ Humanæ ℥. i.
Medull. crurum asin. bovis, cervi, an. ℥. i. ß.
Pulv. thuris, farin. fabar.

Siliginis an. ℥. ii, quibus omnibus repleatur, & consuatur, veruque transfigatur, & assetur, vel ollæ vitreatæ inditus lento igne assetur, ubi cavendum, ne aduratur. Liquor exstillans usui servetur.

Dorncrellius in dispensatorio p. 100. exinde suum componit unguentum Paralyticum, & tale est.

℞. Axungiæ Humanæ ℥. ii. ß.
Ol. chamom. ℥. iii.
lumbricor. terr. vulpin.
moschellin. an. ℥. ii.
De piperib. d. castor. an. ℥. i.
Aq. antepileptic. aur. lib. ß.
Spiritus Terebinth. ℥. i, ß.

Coq. in duplici vase ad aquæ antepilepticæ consumptionem, deinde adde

Ol. spicæ ℥. ii.
nuc. mosch. stillatic. ʒ. iii.
Juniper. ℥. ß.
succin. ℈. ß.
rorismar. g. iv. Misce & fiat cum s. q. Ceræ citrinæ s. a. Unguentum.

Quod felicissime inungimus membris Paralyticis. Non enim solummodo materiam nervis, musculis atque tendinibus præter naturam inhærentem digerendo absumit, verum etiam partes nervosas calefaciendo confortat, & ad suas actiones obeundas revocat, & membra ab atrophia, assiduo fere Paralyseos comite, præservat, frigidæque arthritidi confert. Fiat autem inunctio mane & vesperi in loco calido, medicamentis tamen universalibus præmissis.

Pop-

Poppius cap. de Apoplex. p. 52. hoc in simili casu adhibendum habet.

℞. Pingued. human. medull. ex cruribus human. ℥. ß. an.

Ol. macis, menth. an. ʒ. i. misc. pro Linim. quo inungenda membra paralytica.

Idem in Thesaur. Medic. variis Unguentis & linimentis Pinguedinem humanam admiscet, inprimis p. 584, 594. ubi simul Balsamum quendam in membris Paralyticis comprobatum sequentibus describit.

℞. Pinguedinis Human.
cunicul.
murium Alpin. (Murmenten schmaltz)
an. ℥. i.
Cervin. ℥. ii.
Ol. scorpion. ℥. i.
Mastich. Thur. an. ℥. ß.
Ceræ ℥. iii. Terebinth. ℥. iv.

Misce omnia & ex Retort. destilla, & tertia vice repete rectificando. Hujus balsami cum anatica portione Pingu. Human. misce & partes inunge.

Vide pag. 613. 619, 621.

4. In Pectoris affectibus.

In Pleuritide spuria, ut materia peccans magis dissipetur, exterius Emplastrum de Meliloto pro maturatione & resolutione cum inunctione amygd. dul. & Pingu. Hum. frequenter apposuit *Horstius l. c. pag. 39.*

In Catarrho ad pectus delabente, pectus, Ventrem, scapulas & collum sequenti linimento bis in die inunxit *Hildan. c 3. obs. 41.*

℞. Pinguedin. Human.
anseris,
Ol. lilior. albor.
amygd. dulc. an. ℥. i.
Mucilag. sem. cydon. aqua hyssopi extractæ ℥. i. ß.
Croci pulverisat. ʒ. ß. misc.
F. liniment.

5. In-

5. In Ariduris & Atrophia membrorum.

℞. Axung. Hum. q. pl. misce exacte cum Spiritu Vitrioli, ex actione & redactione relinquitur aliquod viscidum, quod penetrans est, usumque insignem habet in ariduris. Mistura fiat sensim & paulatim, seu guttulatim, propter metũ displosionis. Locus vero primum asperis linteis fricetur, postea diligenter inungatur, & quidem aliquoties.

Vel ℞. Axung. Hum.
Succ. Terebinth.
Ol. Vitriol. an. q. pl. misce. Hoc linimento membra inungantur, & semper calidioribus pannis s. exuviis vulpinis non præparatis foveantur.

Poppius l. c. p. 637. seq. commendat,

℞. Pingued. Microc.
Canin.
Ol. Juniper.
Sulphur. per. c. an. ℥. iv. misce invicem, pro linimento: & primo fricentur membra spiritu aromatico, deinde ad calorem hoc inungantur.

Et *pag. 683.* ℞. Smegmat. Venet. lib. ß.
Baccar. Junip. rec.
Sem. canab. an. M. iii.
Pingued. Hum. ℥. ii. Conquassata misce invicem, & superfunde spiritum Vini, quantum compositio requirit: stent in leni calore per octiduum: postea exprime, sic unguentum fiet viride: adde lumbric. terrest. pulverisat. vel ol. lumbric. & parum ol. Terebinth. destillat. quo partes inungendæ.

P. 639. ℞. Ol. Terebinth. Juniper. an. ℥. ii.
Pingued. Hum. ℥. i. ß.
Ol. Ceræ destill. ℥. ß.
lini destill. ʒ. ii.
Pulv. lumbric. terr. ℥. ii.
Camph. ʒ. ii. Misce invicem, & ex Retorta destilla, egreditur Balsamus elegans, quo partes inungendæ.

Weickardus ad membrorum Atrophiam ex P. H. Dropacem seq. componit. *l. 4. p. 582.*

℞. ☉.

℞. G. ammoniac. bdell.
elem. picis nigr. in aq. Vitæ dissolut. an. ℥. ii.
Ol. laurin. Juniper. an. ℥. i.
Pinguedinis Hum. ℥. ß.
Pulv. piper. Zingib.
gr. parad. bacc. laur. Junip. an. ʒ. ii.
Flor. chamomæl. melilot. an. ʒ. i.

Cum pauca Cera. F. Emplastr. s. a. extendatur super alutam & applicetur.

6. In Artuum Debilitate, articulorum Languore. Hic quoque Pingued. Hum. plurimum valet: nam parti cuidam imbecilliori adhibita, eam roborat, & vi discussoria excrementitios humores resolvit, ut docet *Renodæus l. 3. de mat. medic. p.* 570.

Finckius in Enchirid. p. 222. tale quid commendat.

℞. Pinguedin. Human.
taxi an. ʒ. iii.
Ol. Terebinth. ℥. ß.
vermium terrestr. ʒ. i. ß.
baccar. Junip.
nucis mosch. vulpin. an. ʒ. i.
petrol. ʒ. ß.
spicæ ℈. ß. misce pro linimento, quo affectæ partes inungendæ ad calorem.

Libavius in Alchym. Pharmaceut. p. 222. articulos post Luem Veneream languidos sequenti modo cum P. H. curat, dum inquit,

Truncum fraxini vel Juniperi excava ad instar tubi aquarii, farci cavitatem Sale comm. obturato foramine cono ex eodem ligno, truncum combure: fiet idem Sal lapideus. Serva loco calido: cum uti voles, solve Spiritu Vini vel aqua stillaticia Guaiaci, aut spuma decocti, & perfrica articulos & tendines in contractura ex Pleonasmo: adde liquorem Taxi & Pinguedinem Humanam recentem.

Pharmacopœa Augustan. pag. 265. hoc habet Unguentum Nervinum, cujus compositionem quoque ingreditur Ping. Hum.

℞. Herb.

℞. Herb. salv. Ivæ arthetic.
majoran. rorism. menth.
rut. lavend. Hyperic.
paralyseos cum flore.
Flor. chamom. melilot.
summitat. aneth an M. ß.
Baccar. laur. Junip. an. ℥. i.
Rad. pyrethr. ʒ. ii.
Mastich. ℥. ß.
Benz. ʒ. vi.
Terebinth. ℥. i.
Axung. Humanæ,
cati sylvestr.
canis an. ℥. ß.
Vini optim. lib. i. Infundantur per noctem, mane fiat decoctio ad consumptionem Vini; addendo in fine Ceræ ℥. i. Spiritus Vini ℥. ii. Coque s. a.

Nervinum hoc dicitur, & merito, frigidos enim nervorum & articulorum morbos tollit, ac doloribus eorundem opitulatur, nec non robur debililioribus partibus addit.

7. In Hernia.

Emplastrum quoddam cujusdam *Eustachii Empirici* describitur à *Weickardo pag.* 315. quod præmissis aliis fomentationibus sub retinaculo gestandum, & sic habet.

℞. Gumm. ammoniac. tragac. Sanguin. drac. an. ℥. ß.
Thuris, mastich. colla piscium an. ʒ. ii. incisa & crassiuscule contusa, dissolvantur in aceti fortissimi s. q. & exprimantur fortiter, deinde,

℞. PINGUEDINIS HUMAN. ℥. i.
Urs. taxi, capon.
medullæ cruris vitul. ol. laurin. an. ℥. ß.
Sevi Cervin. Ceræ virgin. Terebinth. an. ℥. i. misce omnia, coquanturque lento igne, circa finem addendo
pulver. spodii præpar. ℥. ß.

Hæmath.

Hæmath. ʒ. ii. agitentur probe, fiatque Ceratum, quod supra alutam vel corium hircinum molle extensum, atque sindone rara obductum parti affectæ applicetur, ac triduo elapso semper renovetur: miris modis convenit, præsertim pueris Herniosis.

Aliud pro Senioribus seq. modo describitur.

℞. G. ammon. tragac. sangu. drac.
succi hypocist. acaciæ an. ℥. ß.
Aloes succotr. ʒ. iii.
Thuris, mastich. Ichthioc. Sarcocoll. an. ʒ. ii. pulverisata infundantur in aceti fortissimi s. q. stent per biduum in loco calente, ut dissolvantur; exprimantur fortiter per linteum: deinde,

℞. Pinguedinis Humanæ ℥. i.
Ursi, Tax. Leporis, canis.
Medull. cervin.
Ol. lumbricor. laurin. an. ℥. ß.
Sevi hircin. Ceræ virgin.
Terebinth. lot. an. ℥. ii.
Picis navalis ℥. i. Colophoniæ ℥. ß.
Liquefiant omnia lento igne, & misce cum supradictis, demum inspergantur sequentia subtilissime pulverisata.

Eboris usti ℥. i.
Lapid. hæmath. ℥. ß.
Boli armen. ʒ. ii.
Minii officin. ʒ. i.
Rad. Aristol. rotund.
Cortic. granat. Gallar.
balaust. an. ʒ. i. Coq. ad Cerati crassitiem spatula semper agitando, & manibus oleo humectatis F. magdaleon, D. grosz Bruchpflaster vor alte leute.

8. Contra Scrophulas. *Weickard. pag. 608.*

℞. Axungiæ Human.
porci castrat.
Mucilag. sem. lini, fœnogr. an. ℥. i. ß.
Olei Nucum, lilior. albor.
Sambuc. Irin. cheirin.
amygd. amar.

Me-

Medull. crurum vitul. Cervi an. ℥. i. F. Unguentum, vel Ceræ quantitate aucta Ceratum.

9. Ad Tumores & Tophos Podagricos.

In hoc affectu nihil præstantius *Weickard.* p. 507. ait, quam oleum ex ossibus humanis, & oleum Ceræ, quibus sequentia addit.

℞. Pingued. tax. ℥. ii.
human. ℥. i.
Salis usti ℥. ß.
Olei ex ossibus H. ʒ. v. misce probe in mortario, & fiat Unguentum.

Vel ad Tophos in juncturis prohibendos.

℞. Mucilag. rad. alth. sem. lin. cum Vino extr. an. ℥. i.
Pingued. Tax. ol. vulpecul.
lumbricor. terr. an. ℥. i.
Pinguedin. Hum. Sevi Hircin. an. ʒ. ii.
Salis triti ʒ. iii. Fiat Mixtura apud Ignem, qua juncturæ inungantur, & semper inspergatur pulvis lumbricorum terrestr. lotorum in Vino, & combustorum, addendo simul pelliculam leporinam cum ligatura.

10. In Tumoribus ex Contusione.

Idem pag. 510.

℞. Axung. Hum. ℥. i. ß.
Spiritus V. ℥. i. misce, & inungatur postea parti affectæ: inspergatur semin. cymin. pulveris. ac obvolvatur pannis linteis bene calidis, & mastiche suffumigatis.

11. In Calli Repressione.

Quidam ex usu Ostiocollæ imprudenter exhibitæ callum insignem in loco fracto sensit, cui præmisso decocto emolliente, locum quotidie bis fomentante, hoc linimentum adhibuit *Hildan. Cent.* 1. *pag.* 278.

℞. Axung. Hum. Ursi,
anser. an. ℥. iii.
Succi lumbricor.
Aceti Scyllit. an. ℥. i. Misce. F. Unguentum

quo

quo callus & tota tibia post fotum inungantur.

12. Adversus Atrophiam membrorum.

Poppius l. 2. Thesaur. medic. seq. p. 243. describit.

℞. Pinguedinis Human.
Ol. butyr. destillat. an. ℥. i. ß.
Ol. colophoniæ destill. ℥. ß.
& tantundem ol. Cumin. destill.
Sach. Saturn. ʒ. iii.
Ol. Vitriol. ℥. ß.
Camphor.
Pingued. serpent. an. ʒ. i.
Butyr. Caprin. ℥. iv. Omnia probe invicem misceantur pro Unguento, quo partes affectæ sæpius inungendæ.

Aliud ibid. in simili casu.

℞. Smegmat. Venetian. lib. ß.
Baccar. Juniper.
Semin. cannabin. an. M. iii. Contusa & concisa misce invicem, & pone in cucurbita vitrea, superfunde Vini adusti optimi q. s. Digere in forti calore per octiduum, & postea exprime: sic viride habebis linimentum: cui adde Pingued. Human. & Can. an. ℥. i. Lumbric. terr. pulveris. ℥. ii. Omnia misce pro Unguento: Quo membra prius Spiritu V. optimo fricata, inungenda, sicque ad exoptatum devenies finem.

In magnis combustionibus ad magna vasa Arter. & Ven. ubi atrophiæ ex penuria alimenti metus est, tota pars affecta primis quidem diebus oleo rosaceo ad reprimendos humores, postea sequenti unguento inungenda est: ut habet *Hildan. lib. de combust. cap. 8.*

℞. Succi lumbric. ℥. ii. Pingu. Human. Gallinæ, Ursi an. ʒ. i. Aq. Vitæ ʒ. ii. Misce. Hoc Unguent. emollit, resolvit, corroborat & aperit, si quæ Venæ propter violentiam Ignis contractæ & oppilatæ fuerint, atque adeo Atrophiam impedit. Vide plura apud eundem *l. c. c. 8. & 9.*

Præstans Balsamus ab eodem Poppió pag. 244. seq. describitur.

℞. Pin-

℞. Pingued. Human.
mur. sylvestr. an ℥. i. ß.
Medull. Cervin.
bubul. an. ℥. iii.
Mastich. Thur. an ℥. ii.
Ceræ ℥. iv. Terebinth. ℥. v.
Omnia invicem probe misceantur, & ex Retorta destillentur, & rectificentur tertia vice, hoc oleo misce cum pinguedin. Human. an. & partes inunge.
Vel, ℞. Ol. Terebinth. Junip. an. ℥. ii.
Pingued. vulp. ℥. iii.
Human. ℥. i.
Ol. cumin. destill. ℥. iii.
Lumbric. terrestr. pulveris. ℥. ii.
Spiritus V. lib. ß.
Vitrioli ad rubedinem calcinati lib. ii.
Omnia invicem misce, ex Retorta destilla, & membra inunge: vide plura apud *Popp. Thes. Med. pag.* 637, 638, 639, 640.

13. In Tremore involuntario inter alia commendat *Horstius L. 3. observat. p. 2. p.* 283. Balsamum Axungiæ Humanæ, qui sic paratur.
℞. Axungiæ Hum. ℥. vi.
Terebinth. claræ tantundem.
Axung. Taxi, vulp. an. ℥. iii.
Ol. laurin. mastich. spicæ an. ℥. ß.
Fol. laur. Chamæpyt. Salviæ nobilis,
Majoran. an. M. i.
Aq. Vitæ rectificat. ℥. viii. macerentur horis 24. deinde F. destillatio per Retortam.

14. Ad confortandos Articulos,
Oleum elegans parari potest.
℞. Terebinth. Ol. laurin. an. ℥. iii.
Pingued. Human. ℥. iv.
Pingued. Tax. vulp. Urs. an. ℥. ii.
Castor ℥ iii.
Gum. Galban. Opopanac. mastich.
myrrh. an ℥. ii.
Misce & destilla per alembicum in arena secundum ignis gradus.

15. Ad-

15. Adversus Pustulas ex Lue Venerea obortas. *Peppius l. 3. Thesaur. p. 761.*

℞. Aquilæ cœlest. s. Mercur. dulc. q. pl. resolve eundem in aceto destillato, separa inde acetum: sic remanet pulvis albus, quem misce cum PING. HUMAN. & cutim rugosam & faciem eo inunge: addi quoque potest parum Camphor. & Sal. Saturn. Removet ardorem & rubedinem cum pustulis, hasque exsiccat.

Vel, ℞. Ol. lin. ℥. i.
Vitriol.
Salis,
Pingued. Human
Ol. Hypericon. an. ℥. ß.
Terebinth. ℥. i. ß.
Mastich. balsam. ℥. ß. Omnia misce, & cutim scabiosam ter quaterve singulis diebus inunge: vide plura ibidem 16. Pro foveis post variolas & morbillos relictis explendis Axungia humana commendatur à *Cl. Senn. lib. de febrib. p.* 1004. potest hæc ipsa aliis idoneis ad id medicamentis permisceri. Sic & Ferrarius l. 4. de Medicin. Infant. pag. 264. sequens describit.

℞. Pingued. Human. Ursi,
Medull. cervin. bubul.
Balsami veri, Pulver. Camphior. an. partes æquales.
Musci parum. Misce & inunge.

16. Si Cicatrices cute sint duriores, & proinde valde rubræ appareant, cutim emollit Pinguedo Humana: hæc enim familiaritate quadam temperamenta efficacius reliquis agit, testibus Hieron. Fabr. ab Aquap. lib. de Vulner. pag. 815. Peceett. in Chirurg. pag. 746.

17. Ingreditur denique Unguenti Magnetici s. Stellati confectionem, de quo postea.

CAP. III.

CAP. III.

DE CEREBRO.

CEREBRUM est pars illa medullosa, quæ demto cranio & Menyngibus, nostro sese offert conspectui; idipsum *Hippocr. lib. de morb.* sacro Glandi comparat; ab usu potius, ut vult *Riolan. lib. 4. anthropogr.* quam similitudine Substantiæ, quia Calvæ capacitate concluditur, quæ instar cucurbitulæ trunco corporis imposita, omnis generis expirationes attrahit, quarum assiduis haustibus, tanquam magna, cerebrum inebriatur.

Magnitudo ejus in homine amplior est quam cæteris animalibus, quin etiam Cerebro Elephanti majus, ut olim Lycus peritissimus Anatomicus scripserat: Ruffus Ephesius Hominis Cerebrum duorum boum Cerebris grandius esse affirmat: Sed diligenter examinanti, inquit Riolan. lib. citat. pag 385. Cerebrum humanum, tam mole quam pondere, sextuplo majus bubulo apparebit: cum in statera Cerebrum humanum librarem, deprehendi trium librarum mercatoris pondus æquasse, quæ quatuor libris Medicis respondent.

Est autem Cerebrum universale sentiendi Organum, estque domicilium Animæ sensitivæ, ad edendas functiones animales; in quo tanquam in promptuario spiritus animales continentur & conservantur. Interdum Balsamicam ejusmodi virtutem obtinet, ut putredinem respuat: sic enim Cerebrum cadaveris quinquaginta annis sub terra repositum non putrefactum observavit apud *Hildan. Cent. 5. obs. 4. Georgius Faber*. Historia sic habet.

Hesterna die, cum ad deductionem funeris cujusdam Nobilissimi in vicinia vocatus essem, Cranium humanum inter fodiendum forte fortuna exemptum, & 50. annis sub terra repositum, in quo Cerebrum continebatur, plane crudum, incorruptum, nullique

nullique putredini obnoxium, ſed albicans, & inſtar olei diffluens, neque fœtens, à me multiſque viſum fuit, non ſine magna admiratione: Referebat mihi defuncti filius nobiliſſimus &c. cadaver iſtud fuiſſe avi ſui, qui ex vulnere capiti inflicto, diem ſuum obierat: An viribus Balſamicis alicujus Medici illud adſcribendum ſit, tuum erit judicare.

Hujus ad profligandos, inprimis Epilepticos inſultus, elegantes præparationes *Medici* ſuppeditant.

I. ARCANUM CEREBRI HUMANI.

Hujus deſcriptio habetur in *Praxi Hartman.* & eſt ſequens.

℞. Cerebrum integrum hominis adoleſcentis infra annum 24. ſani & violenta morte perempti: ſumatur cum omnibus membranis, arteriis, venulis & nervis, & cum medulla ſpinæ tota, cum aqua Ceraſor. & Lavendul. in modum pultis conquaſſetur in mortario lapideo, adde in cucurbita vel phiala capaci aquas quoque alias Cephalicas, & Spirit. V. inprimis Diaphoreticum in peracutis ad ſupereminentiam trium, vel quatuor digitorum: claudatur vas Hermetice, & inſoletur, vel hyeme etiam juxta fornacem digeratur: ſicque relinquatur per annum unum, duos vel tres: Deſtilla ex B. Roris, & cohoba toties, donec maxima pars Cerebri cum Sp. V. ſimul alembicum tranſierit: Ex fæcibus poſt ſextuplex & octuplex cohobium, calcinatis, extrahe ſalem, quem deinceps cum Spiritu facto junge, & totum curioſe ſerva.

A proprietate Caducum curat, non tantum Paroxyſmum, ſed morbum penitus tollit, ſi ejus continuetur uſus:

Dosis à ℈. ß. ad ℈. ii. in aq. appropriata Luna decreſcente.



K XI. QUINTA

II. QUINTA ESSENTIA.

Hujus descriptionem habes apud *Poppium in Thesaur. Med. p.* 52.

℞. Cerebrum Hominis ultimo supplicio affecti, idipsum Sali & ossibus calcinatis humanis probe misce, ut fiat instar pastæ, inde forma globulos, qui in calido exsiccentur, & deinde pulverisentur: Pulverem inde Retortæ vitreæ, & affunde ei Spiritum V. & Vitrioli an. q. s. ut pulvis bene humectetur. Jam colloca vitrum in arena, & subde ignem, sensimque destilla, mox prodibit Liquor & Oleum, quæ invicem separentur, liquorque tertia vice rectificetur, in fundo reperies Salem fixum, quem l. a. extrahe. Sic habebis tria Arcana Cerebri Microcosmici, quorum quodlibet in specie dolores capitis minuere, propellere, & ex fundamento curare potest. Sunt instar summi arcani Cerebri. Inde ejusmodi paratur pulvis.

℞. Cranii humani præparat. ℥. ß.
Quinta Essent. Cerebri Microc. ʒ. i.
Ambr. mosch. an. gr. vi.
Sach. ℥. ii. Misce. F. pulvis.
Dosis. ʒ. ii.

III. AQUA CEPHALICA COMPOSITA.

Hanc ex aliis describit *Mylius lib. 4. Antidot. pag.* 538.

℞. Cerebrum integrum cum Spiritu rectificato (per lilium convall. essensificato) putrefactum: adde.

Magister. & essent. perlar. an. ʒ. i.
corall. ʒ. i. ß.
Specier. diacastor. diamosch. an. ℥. i.
Essent. pæon. ʒ. iiss.
Specier. confect. anacard. ℥. i. ß. mixtis omnibus digere cum Vino Malvatico q. s. deinde artificiose destilla, & proprio cum Sale evacua.

IV. AQUA

IV. AQUA INSIGNIUM VIRIUM.

℞. Cerebrum recens, integrum, nondum putrefactum, huic adde.
Spiritus Vini lib. I.
rosar. lib. ß.
Lavend. lil. convall. an. ℥. viii.
Cinam. ℥. iii.
Caryoph. ℥. ii.
Cardamom. ℥. i.
Macis. ℥. ß.
Ambr, ℈. vi.
Benz. Styrac. cal. an. ℥. i.
Rad. Ireos ℥. i.
Santal. citr. Cortic. citr. an. ℥. vi. Mixta ac putrefacta per mensem destillentur per cohobia, addendo in secunda cohobatione lib. I. in tertia v. cohobatione adde lib. i. ß. tandem vis omnis prodibit: fæces calcina, & per aquam lavendulæ elice Salem, hunc cum aqua adde destillato, & ad quartam vicem cum mosch. gr. vi. rectifica. Est aqua nobilis & miraculosa. Si velis aquam fortiorem adde Sanguinem Microcosmi, ut simul quoque putrefiat, & destilla.

V. LIQUOR CEPHALICUS PROPRIO Sale impraegnatus. Hunc *Mylius* delineat l. 7. *Basil. Chym.* seqq.

℞. CEREBRUM Microcosm. integrum.
Sanguinis ejusdem ℥. xii. His mixtis affunde.
Tincturæ aloes, myrrh.
Thuris, castor. an. ad eminentiam trium digitorum, putrefiant per sex menses, deinde destilla per Retortam Spiritum atque Oleum, rectifica cum specieb. diamosch. & confect. alkerm. an ℥. ii. & habebis liquorem divinum & miraculosum, in capitis affectibus singularem.

VI. MIXTURA CEPHALICA ELEGANS.

℞. Arcani Cerebri Hum. de quo supra ℥. viii.
Essentiæ Sanguinis Microcosm. ℥. ii.
Tincturæ Auri Veræ ℥. ß.
Essent. Corallor. ℥. i. ß.
Perlar. ℥. i.
cinam. anis. an. ℥. ß. Circula hæc & destilla, & habebis thesaurum divinissimum, inquit. Myl. l. c.

Alia:

℞. Cerebrum Microcosmi integrum ac recens. vel de suspenso, aut decollato, hoc in patina vitreata cum pistillo vitreo optime contunde, miscendo cum Essentiis.
Q. Essent. Cinam. ambr. an. ʒ. i.
succin. ʒ. iii.
Croci, anisi, caryoph. an. ʒ. i. In harum Essentiar. defectu substitue aromata cruda ac pura, addendo satis magnam quantitatem Sachari albiss. depurati. His probe commixtis inde phialæ satis magnæ, superfunde alcoholis Vini cum florib. liliorum convall. essensificati, pone omnia in putrefactione, adaptato cæco alembico probe lutato: stent in digestione Solis, vel caloris per aliquot septimanas: deinde in B. Roris circula, cohoba, ultimo destilla, destillatum proprio Sale impregna, tandem omne destillatum rectifica.
Hujus Essentiæ ℞. part. iii. vel iv.
Essent. argent. p. ii.
Salis Cranii hum. p. i. Misce & redistilla, vel coagula in unam essentiam, quam habe pro thesauro thesaurorum, & quamvis hic multum consumat temporis, tamen non pœnitebit, quia tibi summum erit secretum curandis morbis Cephalicis, spiritualibus & animalibus.

SUC-

SUCCEDANEUM.

Si quis tamen usum Cerebri humani reformidet, Cerebrum Leporis non sine ratione substituere poterit: æmulatur enim idipsum vires Cerebri human. & à plurimis in curandis captis affectibus pro Cephalico commendatur.

Hinc adversus Paralysin idipsum commendat Senn. lib. 1. practic. & pag. 544. sequentia exinde parat Electuaria.

℞. Conserv. flor. lilii convall.
primul. Veris.
salviæ an. ℥. ii.
Mithridat. opt. antiq. ℥. i.
Cerebri Leporis assi & exsiccati. ℥. ii.
Specier. diambr. ʒ. i.
Sem. pæon. baccar. junip. an. ℈. ii.
Cum syrup. stæchad. F. Electuar. de quo sumat æger singulis diebus ʒ. dimidiam.

Aliud. ℞. Cerebri Leporis recentis assi, vel in fictili frixi.
Succ. Salviæ an. lib. ß.
chamæpyt. betonic. an. ℥. iii.
Cynam. caryoph. Piper. nigr. an ʒ. i.
Terebinth. aq. chamæpyt. lotæ ℥. iii.
Sachar. dissoluti in aq. Ivæ, vel mellis q. s. F. Electuar. de quo mane horis tribus ante cibum sumantur ℥. ß. vel. ʒ. vi.

Idem p. 503. ad confortationem nervorum præcipue post diuturnos morbos, inprimis Tremorem seq. commendat.

℞. Pulpæ pullor. columbar. sylvestr. vel Ciconiar. in Vino elixatum. ℥. iii.
Cerebri Leporis assati. ℥. i.
Amygdalar. dulc. mundatar. No. xxx.
Pinear. recent. lotar. cum hydromel. No. xx.
Passular. minor. ℥. i.
Spec. elect. resumtiv. ʒ. ii.

Pulv. cinam. ʒ. iii.
Zingib. caryoph. galang.
macis an. ℈. i.
cardamom. ℈. ß.
Mosch. gr. ii. Mellis despumati q. s. F.
Electuar.

Vel. ℞. Cerebri Leporis assi. ℥. i.
Cons. fl. lavendul. rorism.
salv. an. ℥. ß.
Elect. diacor. ʒ. vi.
Castor. ʒ. ß.
Cranii hum. præparat. ʒ. ii.
Pulv. rad. & sem. pæon. an ʒ. i.
Visci querni ʒ. ß.
Spirit. primul. Ver. ʒ. i.
Essent. salv. ʒ. ß. Cum Syrup. de stæchad. q. s.
F. Electuar.

Vide simile quid ibidem p. 504. ut & apud Avicenn. & alios.

CAP. IV.

DE CRANIO ET OSSE TRIQUETRO.

CRANIUM est Os, quod totum Cerebrum ambit, & ei veluti quædam Galea imponitur: quod necessario totum debuit esse osseum, ut esset instar tutissimi domicilii: obtinet enim partem nobilem & ad omnes actiones apprime necessariam, septo forti muniendam: Rotundum est, ut à periculis sit tutius; magnum, propter Cerebri totius molem: ex variis combinatum est ossibus, ne ex uno vulnere tota Calvaria undique frangeretur: Hinc & suturas varias obtinet, quarum principaliores sunt. Coronalis, Lambdoides s. Ypsiloides & Sagittalis.

USUS.

USUS.

Cranium tam insignem in Cephalicis affectibus obtinet vim ac facultatem, ut vix Medicus Practicus reperiatur, qui exinde non confectionem aliquam contra Epilepsiam, Paralysin, Apoplex. Vertiginem &c. sibi præparet. Et certe de hoc ipso peculiare Volumen posset confici, si omnia Medicorum clarissimorum composita recenserem: potiora itaque & selectiora ex eodem præparata medicamina subjiciam.

Utuntur v. Cranio vel Crudo & pulverisato, alisque mixto, aut Præparato.

CRUDI CRANII USUS.

Existimant nonnulli strumas sine omni incisione curari posse, si patiens ex Cranio hominis sepulti sæpius bibat.

Plinius l. 28. *c.* 1. scribit Antheum ex Calvaria suspendio interempti contra morsum canis rabidi catapotia fecisse vide & Riol. lib. 7. anthr. p. 668.

Novi quendam, qui in Russia febricitantes ex pulvere Cranii humani curaret: alii in dysenterico fluxu similiter exhibent.

Variæ autem medicamentorum formulæ ex Cranio ad diversos, inprimis tamen Capitis morbos, conficiuntur: suntque vel Pulveres, vel Electuaria, vel Tabulæ &c.

PULVERES.

Rodericus à Fonseca l. 2. *consult. medicar.* p. 463. in Epilepsia viro 35. annor. seq. præscribit.

℞. Rasuræ Calvariæ Hum. ℥. i,
ungulæ alcis.
C. C. an. ʒ. ii.
Visc. querc. Gran. pæon.
Rad. pæon. mascul.
tormentill.

 Sem.

Sem. dictamn. alb. an. ʒ. i. ß.
Corall. utriusque præparat.
Eboris rec. rasi.
Margar. præpar. an. ʒ. i.
Fol. o. Nu. xxx.
sachar. opt. ℥. ii. Misce, terantur omnia in pulverem, detur cum aq. lil. conval. ℈. ß.

Similem fere habet *Steegh, med. practic. p.* 322. simpliciorem autem *Wittichius. p.* 56.

Dorncrellii est sequens, quem in *Dispensatorio p.* 178.

℞. Rad. pæon. mascul. decrescente Luna & Sole in piscibus collectæ.
Cranii Humani vi interempti partis anterioris.
Sem. pæon. mascul. excortic. eodem tempore coll. an. ʒ. iii.
Rad. tormentill. ʒ. ii.
Visci querni recent. ʒ. ii. ß.
Diptamn. alb. ʒ. i.
Sem. gallitric. ʒ. i. ß.
cubebar. ʒ. ß.
Smaragd. præpar.
Corall. rubr. præpar.
Margar. præparat. an. ʒ. ß.
Corn. C. præpar.
Ungulæ alcis pedis poster. an. ʒ. i.
Taleorum leporis pedum poster. Nu. xii.
Corallin. ʒ. ß.
Succin. alb. præparat. ℈. ii.
Fol. Auri fini No. vi.
argent. fini No. v. pulverisentur subtilissime & F. pulvis: cui adde Oleor. stillatic. nucis mosch. rorism. an. g. vi. M. F. pulvis pro usu.

Valet hic à tota substantia contra Epilepsiam: datur in ipso Paroxysmo Epileptico ʒ. i. cum aq. fl. tiliæ & cerasor. nigr. sylv. an. ℥. i. & aq. Epilepticæ aureæ ℥. ß. In præservatione datur in omnibus quadris Lunæ, vel etiam in humida aeris constitutione ℥. ß. cum iisdem aquis, aut saltem cum sola

cum sola aqua fl. tiliæ: Pueris sufficit dimidia, aut minor dosis pro ætatis ratione.

D. Fabri Pulvis Apoplecticus, simul contra Tremorem cordis Ferdinando Archiduci aliquando ordinatus, quem describit *Myl. Basil. Chymic. tract. 2. de Auro.*

℞. Cranii de Sphæra microc.
Rasur. Ungul. alc. an. ʒ. ii.
Spec. Diamosch. dulc. ℈. iv.
Corall. utriusque Margar. præpar.
Lapid. 5. pretios. an. ʒ. ß.
Radic. dictamn. alb.
Sem. & rad. pæon. Rhabarb. elect. an. ʒ. i.
Visc. quern. Cubebar. Cardamn. an. ʒ. i. ß.
Fl. salv. anth. calendul. an. ℈. iv.
Nucis mosch. galang. Piper. long.
Coriandr. præpar. Zingib. an. ℈. v.
Sem. citri excortic. ʒ. ii.
Zedoar, Doronic. Been utriusque an. ℈ i.
Fl. borag. bugloss. menth. meliss. Nymph. violar. an. ʒ. ß.
Fol. Auri, Argent. an No. iv.
Ossis de C. Corde ʒ. i. ß.
Unicorn. g. xv.
Terræ sigillat. ʒ. ß.
Rosar. rubr. ℈. i.
Spec. Diamarh. fr. De gemm. an. g. xv.
Mosch. ambr. grys. an. g. x. Misc. & F. pulvis cujus Dosis est ℈. ii. cum Vino Rhenano vel Malvatico.

Plateri est sequens, quem describit *tr. 1. pr. p. 86.*

℞. Cranii Hum. ʒ. i.
Ungul. asin. ciner. hirund. an. ʒ. ß.
Rasuræ eboris ℈. i.
Corall rubr. ʒ. i.
Margar. præparat. ʒ. ß.

Auri limati. ℈. i.
Sem. pæon. ʒ. ß.
Diamosch. ℈. i. F. pulvis.

Brunnerus consil. 13. *p.* 84. pulverem Caput simul roborantem ne tam facile, vel etiam violenter à vapore maligno afficiatur, depingit.

℞. Rad. pentaphyll. Pæon.
Angelic. an. ℈. ii.
eryng. Gentian. an. ʒ. ß.
visci querni.
Fol. Pentaph. betonic.
H. Paralys. an. ℈. i.
Fl. lil. convall. Sem. Coriandr. præparat.
Sem. sesel. an. ℈. ß.
pæon. excortic. ℈. i.
C. C. præparat. ʒ. ii.
Ungul. alcis. asini Corall. rub. præpar.
Margar. præpar. Coagul. lepor.
Sem. palm. Chr. an. ℈. i.
Rasuræ Cranii Hum. ʒ. i. ß.
Sach. cand. ℥. i. Misc. F. pulvis.

Sigismund. Kolreuterus sequentem Pulverem antepilepticum confecit & in usu habuit.

℞. Fol. Betonic. hyssop. quinquefol.
Herb. Paralys. an. ℥. ß.
Rad. bryon. pæon.
eryng. gentian. an. ℥. ß.
Ligni. visci quern. corylin.
Coriand. præpar. Sem. pæon. exc. an. ℈. viii.
C. C. usti præparat. ʒ. vi.
Ungulæ alcis ʒ. ii.
Unicor. ʒ. iii.
Fl. pæon. lil. convall, violar. purp. tiliæ an. ʒ. iii.
Fol. Auri puri No. vi.
Corall. rubr. & alb.
Margarit. præp. an. ʒ. ii.
Unguium anter. pedum mediorum leporis ʒ. i.

Coaguli

Coaguli leporis vel hœdi ʒ. iii.
Ossis de C. C. No. iv.
Rasuræ Partis anter. Cran. ʒ. iii.
Ungul. asin. ℈. iv. Misc. F. pulvis.

Pulvis Marchionis Epilepticus in dispensatorio Augustano descriptus est seq.

℞. Cranii Human. ʒ. i. ß.
Visc. quern. Gran. pæon.
Fl. pæon. omnium i. t. collect. an. ʒ. ii.
Solut. Corall. ℈. ii. perlar. ℈. i.
Ungul. alc. ʒ. i.
Succin. alb. ʒ. ß. Fiat pulvis:
Dosis à ℈. i. ad ʒ. i.

Clariss. Senn. præceptor honorandus l. 1. Practic. sequentes Pulveres antepilepticos cum Cranio paratos describit.

1. ℞. Cranii Humani ʒ. ii.
Succin. præpar.
Magist. Corall. perlar. ʒ. i. an.
Ungul. alcis, Visc. q. rad. pæon. an. ℈. ii.
Fl. tiliæ, lavend. an ʒ. ß.
Lap. Bezoar.
Unicornu veri an. ℈. ß. Fiat pulvis

Dosis ad ʒ. ß. vide *Untzer. tr. de Epil. pag.* 221.

2.

℞. Sem. pæon. Visci querni
Cran. Hom. è parte anteriore.
Stercoris Pavon. an. ʒ. i. ß.
Spec. diaxyloal.
Diamosch. dulc. an. ʒ. ß.
F. pulvis.
Possunt addi sachar. ʒ. iv.

3.

℞. Rad. & gr. Pæon. Cubebar. visc. q.
Cinam. an. ℈. i.
Succin. alb. præpar. Castor. an. gr. iii.
Cranii Hum.
C. C. usti præparat. an. ℈. i.
Lapid. Smaragd. ℈. ß.

Spec.

Spec. diamosch. d. diaplir. an. ℈. i.
Fol. o. No. ii. F. pulvis.

4.

℞. Cranii Human. ʒ. iii.
Rad. pæon. & sem. ejusdem. tormentill.
Lapid. 5. pretiosf. præpar. an. ℈. ß.
Spec. diamosch. dulc. Pulv. visc. q. an. ʒ. i.
Macis, Cardamon. Cubebar.
Coriandr. an. ʒ. i.
Fol. o. & argent. No. vi. F. pulvis sacharo edulcoranus. Vide *l. c. p. 634.*

Weickerus in Antidotario Special. l. 2. f.20. sequentes tradit.

1. *Rondeletii.*

℞. Cranii ℥. iv.
Cineris cuculi, hirund. an. ℥. ii.
priapi Taur. ℥. ß.
Galang. ʒ. ß. sachari q. s. *M*isc. & F. pulvis, detur mane sorbendo parum vini albi diluti aqua betonic. vel gallitrici.

2. *Angeli de Tarunto.*

℞. Cranii Homin.
Sem. pæon, gallitric. vel radic. ejus.
Rad. tormentil. *M*isc. F. pulvis; Dosis ʒ. i. cum brodio pulli semel in septimana, præcedenti purgatione cum pillulis cochiis.

3. *Proprium.*

℞. Cranii Homin.
Corall. rubr. Sem. pæon. an. ʒ. i.
Misce & F. pulvis, de quo detur tribus vicibus, mane, meridie & vesperi cum brodio vel aqua appropriata.

D. Johann. Nævii est sequens.

℞. Visc. quern. cortice abraso ʒ. ii.
Sem. pæon. ʒ. i.
Rad. pæon. ʒ. iii ß.
Ungul. alc. Corall. utriusque an. ʒ. ß.
C. C. usti, ʒ. i. ß.
Margarit. præparat. ʒ. i.
Cranii Hum. ℈. ii.

Sa-

Sachari alb. ℥. i. ß. F. pulvis S. Pulvis puerorum.

Franciscus Ioel l. 2. practic. p. 85. sequentis expertissimi pulvisculi ʒ. ß. aut ʒ. i. pro ætatis ratione exhibet.

℞. Ossis Cranii Hum. suspendio necati ʒ. ß.
Rad. pæon. sem. ejusdem an. ℈. i.
Corn. Unicorn. ℈. ii.
Corall. rubr. præpar. Margar. an. ℈. ß.
Mosch. gr. iii. F. pulvis subtilissimus, qui in Paroxysmo cum aq. lavend. bibendus propinetur.

Idem p. 92. experientia comprobatum & efficacissimum, cum ad præservationem, tum à Paroxysmo liberationem remedium seq. pulv. tradit.

℞. Rad. Cichor. artemis. rubr. an. ʒ. i.
Sem. pæon. ℈. ii.
Cranii Hum. Visc. q. an. ℈. iv.
Corall. rub. præpar. Unic. an. ℈. i.
Mosch. margar. præparat. an. ℈. ß. redigantur in subtilissimum pulverem: Cujus ʒ. i. cum aq. lavend. in Plenilunio, vel tempore quo Paroxysmus recurrere solet, exhibeatur.

Lic. Greisenhagio, Archiatro Ducum Boruss. sequens in usu fuit.

℞. Visc. q. Rad. & sem. pæon. an. ʒ. i. ß.
Nucis mosch. ʒ. ß.
Cranii Hum. ℈. ii.
Sem. anis. ʒ. ß. Sach. rosat. tabul. ʒ. ii. ß.
M. F. pulvis. Dosis ʒ. i.

Elegans & magnarum virium est sequens Pulvis, & prophylacticus & curativus non tantum Epilepsiæ, sed & aliorum Capitis & Cordis affectuum, sæpissime à me comprobatus.

℞. Rad. pæon. i. t. coll. ʒ. i.
Fecul. Ireos.
C. C. Philosoph. calcin. an. ℈. ii.
Cranii Human.
Hyacinth. Smaragd. an. præpar. ℈. i.

Magist.

Magist. Corall. Perlar. an. ℈. ß. *Misce*. Fiat pulvis: Dosis variat, pro ratione ætatis, poterit & pro lubitu sacharum addi: Sæpius vero repetatur ejus in aq. conveniente usus.

Parantur & ex Cran. H. pulveres adversus alios affectus.

Antidysentericum Doreri *Med.* Dresd. describit *Cl. Senn. l.* 3. *Pract. p.* 2. *s.* 2. *c.* 7.

℞. Tormentill. Zedoar.
C. C. usti præpar. an. ℥. ß.
Margar. præpar. Ossis de Cord. *C.* an. ʒ. ii.
Rasuræ Cranii Hum. maris.
fæminæ an. ℈. ii.
Fol. Auri. No. xiii. Sach. cand. albiss. ℥. iii.
M. F. pulvis.

Antipodagricus exsiccans corporis serositates, reperitur apud *Weick. p.* 497.

℞. Pulv. Cranii Hom. suspensi, *C. C.* usti an. ℥. ß.
Ciner. hirund. eboris usti. an. ʒ. ii.
Succin. albiss. *M*argarit. non perforatar.
Corall. rubr. an. ʒ. i.
Lapid. Bez. occident. ℈. ii.
Spec. diagalang. diamosch. dulc. an. ʒ. ß.
Sem. urtic. alb. ʒ. ii.
Sach. rosat. tabulat. & sach. candi an. ad pondus omnium: F. pulvis subtilissimus: de quo capiat pro vice ʒ. i. vel ß. vel sacharum dissolvatur in Aq. Chamædr. & Ivæ arthetic. q. s. & F. tabulæ pondere ʒ. ii.

Contra *Vertiginem* cum metu Epilepsiæ idem p. 46 sequens habet:

℞. Cranii Hum
Ciner. hirund. an ʒ. ii.
viperarum ʒ. ß.
Sem. fœnicul. ʒ. ii.
carui ʒ. i.
pæon.
Macis an. ʒ. ß.

Cubebar.

Cubebar. ℈. i. Fol. euphras. major. an ℈. i. Sachari rosati tabulati ad pondus omnium: F. pulvis.

Pulvis *Purgans*, quotidie Tartarum resolvens & educens à *Poppio l. 1. Thesaur. Med. p. 61.* delineatur seqq.

℞. Scammon. Turbith.
Hermodact. fol. senæ.
Ossium Hom. ex Cranio an. ʒ. ß.
Sachar. ad pondus omnium:
Dosis ℈. ii. Mane & vesperi exhibeatur.

Antidoti & Electuaria.

Senn. l. 1. Practic. p. 634.

℞. Castor. ʒ. iii.
Rad. & sem. Pæon.
Sem. Nigell. rutæ sylv.
Rad. Pyrethr.
Hyssop. an. ʒ. i.
Succi rec. Rut. majoran. an. ℥. ß.
Cranii Hum.
Ungulæ alcis an. ʒ. ii.
Mithridat. el. Rad. condit. Eryng. an ʒ. i. ß.
Pulv. ligni sassafr. ʒ. vi.
Conserv. betonic.
rorismar. an. ℥. ii. ß.
Cum aceti scyll. q. s. F. Electuarium Soli per mensem exponendum: Dosis ʒ. ii. vel. iii.

Et *pag. 644.*

℞. Conserv. pæon. ℥. i.
Margarit. præparat.
Corall. rubr. præparat.
Smaragd. Sapph. Hyacinth. præp. an. ʒ. ß.
Rad. pæon. sem. ejusdem. agni casti.
Visci querni.
Cranii Humani an. ʒ. i.
Theriac. ʒ. i. ß.

Carohyp.

Caryoph. ℨ. ß. Cum Syrup. stæchad. simpl. M. F. Electuarium.

Apud *Hollerium* seq. Electuarium Epilepticum habetur.

℞. Ossis Calvariæ Hum. ℥. i.
Sem. pæon mascul. rad. ejusd. an. ℨ. ii.
Salv. Hyssop. Rut. sicc. an. ℨ. ii.
Flor. rub. anagall. borag. an. P. i.
Semin. atriplic. ℨ. i.
Ungulæ asin. tusæ, tali suilli.
Rasur. ebor, C. C. Corall. rubr. an. ℨ. ii.
Diamargar. fr. & calid. an. ℈. i. F. pulvis ex omnibus, deinde incorporentur in conserv. anth. & boragin. an. ℥. i. ß. mellis cum acet. scyllit. ad crassitudinem cocti ℥. ii.
Theriac. & Mith. an. ℨ. ii.
Misce, pro Opiato.

Platerus tr. 1. *pr. pag.* 86. remedium quoddam Epilepticum proponit Galeni, ex Scylla paratum, sed correctum sequens.

℞. Scyll. rec. incis.
mellis selectiss. an. lib. ß.
Pulv. rad. pæon. ℥. i.
Sem. ejusdem ℥. ß.
Cranii homin. ℨ. iii.
Agaric. Visc. quern.
Fol. hyssop. rut. an. ℨ. ii.
Rad. Pyrethri ℨ. i. Hæc vitro clauso excepta, macerari sinantur in calore fimi, aut arenæ ad Solem per dies quindecim: postea expressus succus per se, vel leniter prius coctus, ut ad usum asservari possit, exhibeatur: capiat æger cochleare unum, vel duo plena bis terve in septimana.

Idem p. 87. sequentem componit antidotum,

℞. Cranii Hom. ℥. ß.
Rad. pæon. Visc. quern. an. ℨ. ii.
tormentill. aristoloch rotund.
filipendul. pentaphyll.
dictamn. an. ℨ. i.
Scyllæ præparat. ℨ. i. ß.

Agar.

Agar. fol. hyssop. major. an. ʒ. ii,
Fl. stæchad. lavendul. an. ʒ. i.
Sem. pæon. ʒ. i. ß.
callitr. ʒ. i.
Sesel. ocym.
nasturt. an. ʒ. ß.
Cinam. Cubebar. cardam.
Nucis mosch. an. ʒ. i.
Piper. long. Zingib. an. ʒ. ß.
Pulv. diamosch. D. ℈. ii.
pliris arch. Diamarg. fr. an. ℈. i.
Ungulæ asini ʒ. ii.
Ciner. hirund. & cuculi an. ʒ. i. ß.
Rasur. ebor. & C. C. an. ʒ. ß.
Coaguli leporis ʒ. ii.
Benz. mastich. ammoniaci dissoluti in aceto scyllitico an. ʒ. i. Cum melle scyllitico. Misc.

Ibidem, ex illis, quæ Venenis in genere resistunt, & privatim Epilepsiæ, sensumque nonnihil obtundunt, tale concinnat,

℞. Theriacæ veter. ʒ. iii.
Cranii Homin. ʒ. ii.
Rad. & sem. Pæon.
Visc. quern. an. ʒ. i.
Sem. callitrich. Ocym. an. ʒ. ß. Cum melle scyllitico, vel Sy. d. papav. F. Electuar. Detur. ʒ. i. noctu cubitum ituro: hoc ipsum administravit Epileptico, ut videre est l. i. observat. p. 23.

Brunnius Consil. 13. *p.* 85. sequens habet,

℞. Diacor. ʒ. vi.
Conf. fl. pæon. stæch. an. ʒ. iii.
Cortic. myrobal. chebul. cond.
Nucis Indic. condit. an. ℥. ß.
C. C. præparat. Ungul. alc. an. ℈. i.
Rasuræ Cranii. Hum.
Magist. Corall. an. ℈. ß. Cum Syrupo fl. Pæon. F. mixtura: aliam vide ibidem *pag.* 107. & 121.

In Epilepsia sequens commendatur ab *Hercul. Sax.* p. 73. *Panth.*

℞. Cranii Humani ʒ. ii.

Sem.

Sem. pæon. ʒ. i. ß. Visc. quern.
Cerebr. mustel. an. ʒ. i.
Coaguli leporis ʒ. ß.
Piperis, cardamom. an. ʒ i.
Mellis q. s. Fiat Electuar.

Nec inelegans est sequens apud *Myl. tr.* 2. de Auro.

℞. Conf. violar. rosar. nymph. borag. bugl, an. ℥. i.
Cortic. citr. condit.
aur. cond. an. ℥. ß.
Cranii Humani.
Spec. electuar. è gemm. an. ʒ. i. ß.
lætif. G. ℈. ii.
Rad. pæon. visc. quern. torment. an. ℈. i.
Smaragd. ℈. ß.
Fol Aur. No. vi. Cum Syrupo rosar. & acetos. citr. an. q. s. M. F. Electuar.

In Vertigine Confortans seq. cum C. H, parat. *Weickard. p. 46.*

℞, Cranii Humani.
Rad. pæon. Visc. q. Origan.
Sem. anisi, Carui an. ʒ. i.
Fol. euphrag. ʒ. iii.
majoran. anth. an. ʒ. ii.
Sem. fœnicul. ℈. iv.
cumin. siler. montan.
ocym. pæon. cubebar. ebor.
mac. caryoph. cinam. an. ʒ. ß.
Corallor. ℈. ii. Margarit. ℈. ß.

Pulverisentur omnia subtilissime, & excipiantur melle anthosato: sumat æger mane ad quantitatem nucis moschatæ.

ROTULÆ

Confortantes, & contra Palpitationem Cordis utiles, à quodam sequentes commendantur.

℞. Cranii Hum. ℈. i.
Ossis de Corde C. No. viii. conterantur

super

super marmor cum aq. rosar. q. s. addendo.

Corallor. rubr. præpar. ʒ. i.
Perlar. præparat. ʒ. ß.
Santal. rubr. g. xii.
Sach. alb. lib. ß. in aq. rosar. redolentissima dissol.

M. F. Rotulæ, aut Tabellæ cordiales.

Sennertus l. 1. Practic. pag. 634. sequentes in Epilepsia præscribit.

℞. ℥. Cranii Hum. crudi.
limatur. C. C. crudi.
Nucc. mosch. Caryoph.
Succin. alb. an. ℈. ß.
Rad. Pyreth.
Sem. pæon. citr. an. ʒ. ß.
Spec. diamosch. d.
Diaplir. diapæon.
Visci q. Carduiben. an. ℈. i. Cum Sachar. In aq. lil. convall. dissol. q. s. F. Rotulæ.

Plures medicamentorum antepilepticorum ex Cranio Hum. crudo præparatorum formulæ reperiuntur passim, ut & apud *Hercul. Sax. p. 72.* Pillulæ: apud *Plater. in observat. p. 21.* & *Brendelium Consil. pag. 328.* & *pag. 68.* tabulæ: *Senn. lib. 1. Practic. pag. 628.* ubi Antidotus Phœdronis describitur.

Vinum medicatum antepilepticum seq. reperies apud *Mylium. Basil. Chymic. p. 873.*

℞. Ramentorum Cranii Hum. rec. ℥. ii.
Visci querni minutim incisi ℥. i. ß.
Flo. pæon. lilior. convall. tiliæ an P. iv.
Sem. pæon. Carduib. contus. an. ʒ. vi.
Cinamom. sesquiunciam.
Nucis moschat. ʒ. iii. Indantur vasi vitreo oblongi colli, affundatur Vinum optimum: occluso vase, macerentur omnia in B. M. tepidissimo per 4. aut 5. dies, colentur bis vel ter, & si voles dulcificare colaturam adde paululum Sachari.

Hoc remedium optimum est in Epilepsia: Ejus dosis sunt aliquot cochlearia tempore matutino, idque

que quatuor Lunæ temporibus, seu in quovis Lunæ septenario.

AQUÆ ANTEPILEPTICÆ cum Cranio crudo Paratæ. Variorum autorum.

1. *Hercules Saxon. lib. 1, Pract. Med. pag. 73, seq,* habet,

℞. Rad. Pæon. M. i.
Sem. ejusd. ℥. ii.
H. majoran. salv. Rutæ.
calendul. maj. Paralys, an, M, i,
Caryoph. nucis mosch,
Zingib. an, ʒ. ii.
Cerebri leporis ℥. iii.
Cranii Human. ℥. ß.
Hirundin. No. iv.
Theriac. ʒ. vi. Macerentur omnia in s. q. Vini, ponantur in alembico, & destillentur ! Dosis hujus aquæ ℥. i.

2. *Platerus Tr. 1. p. 85.* hanc describit.

℞. Cranii Homin. ℥. i.
Hirundin. pullor. No. xv.
Picæ, Cuculi pullor. No. iv.
Sanguin. hirci. ℥. iii.
Castor. ℥. ß.
Rad. Pæon. quartar. i.
Sem. ejusdem. ℥. i.
Scyllæ præparat. ʒ. ii.
Visci querc. ℥. ß.
H. Rut. hysop an. M. ii.
betonic. major. salv.
Fl. rosar. lavendul. an. M i.
Cinam. ʒ. ii.
Caryoph. nucis mosch. Cubebar. Piper. an. ʒ. i.
Vini præstantissi. lib. iii.
Aquar. lil. conval. & fl. tiliæ. an. ℥. ii.
Aq. vitæ ℥. i. macerentur per horas tantum

... aliquot, ne corrumpantur, deinde destillentur. Detur ab ℥. ß. ad ℥. i. ad præcautionem, quæ & aqua in Paroxysmo infusa, excitat.

3. *Quercetanus in Pharmac. Dogmatic. restitut.* inter alias aquas Cephalicas Cranium Hom. recipientes, & hanc describit *p.* 84.

℞. iv. aut v. Hirundinum nidos, quos in frusta cum ipsis plumis ac lanugine & visceribus dissecabis: coquantur in 5. aut sex hydromelidis sextariis, eo modo, quo & aliæ carnes in olla elixantur: His adde.

Rasuræ Cranii Hum.
Radic. & sem. Pæon.
angelic. Visc. quern.
Cor. C. Gran Junip. conquas.
Dictamn. Meliss. Betonic.
Thym. Hyssop. an. q. voles:

Jusculum prælo fortiter exprimatur ac percoletur: expressioni aut colaturæ sequentia adjiciantur.

*M*acis, Nuc. mosch.
Caryoph. *C*inam. an. ʒ. ii.
Castor. ℥. ß.
Flor. purpureor. anagall.
lilior. convall. tiliæ arbor.
rosmar. Salv. betonic. an. P. ii.
Croci ʒ. ß.
Camphor. ℈. ii.
Aquarum flor. primul. Ver & calendul.

an. lib. i. *M*acerentur simul omnia ad aliquot dies: deinde fiat liquoris destillatio s. a. cujus & in ipso Paroxysmo, & extra ipsum, prout morbus exigit, semicochleare.

4. *Cl. Sennert. Instit. medic. p.* 1217. *Croll. Basil. Chymic. p.* 188. *Untzerus de Epileps. p.* 155. sequentem ponunt aquam.

℞. Vitriol. Ungaric. ad flavedin. calcinat. lib. iii.
Limaturæ Cranii Hum. morte violenta interempti,
Visci querni, Ungulæ alcis,

Gran.

Gran. Pæon. i. t. coll. an. ℥. ii. affunde in calcinatione de Phlegmate ſpiritum V. quantum deceſſit. ſ. quantum materia imbibere poteſt: miſceantur & indantur in Retortam Waldeburgicam ac ſ. a. per gradus deſtillentur: deſtillatum per B. rectificetur: Hujus ſingulis libris adde.

Theriac. veter. ℥. iii.

Caſtor. Spec. diambr. ℥. ß. Miſta indantur Cucurbitæ vitreæ, & deſtillentur: ſpiritui deſtillato adde.

Salis Pæon. ʒ. ii.

ſuccin. volatil. ʒ. i ß.

Liquor. Corall. perlar. an. ʒ. ii.

Ol. ſuccin. ʒ. i.

ſalviæ. ℈. ii.

angelic. ʒ. ß. digerantur omnia per Menſem in phiala ſigillo Hermetis clauſa, donec uniantur: Doſis cochlear. ß. in aq. Pæon. per novem dies.

Alia.

5. Quæ ab aliis Cratoni, ab aliis Monavio adſignatur, & deſcribitur à *Libavio in Syntagm. cap. ultim. & ſpicileg. in Sylv. p. 536.*

Primo. ℞. Rad. Caryopophillat. dentar.

Fl. tiliæ, Viſci q. affundatur Spir. V. q. ſ. deſtillentur.

Deinde ℞. Stercor. leon. lib. i. affunde partem iſtius Vini deſtillati.

Tertio. ℞. Cornices quinque nondum plumatas vivas, quæ in vaſe fictili clauſo comburantur in Cineres: quos inde in Vitrum, & affunde etiam de iſto Spiritu Vini.

Quarto. ℞. Turtur. ii. deplumentur, & ſimiliter comburantur: pulveriſatis in peculiari vitro itidem affunde iſtius ſpiritus V.

Quinto. ℞. Cranii Hum. violenta morte perempti (nonnulli ſuſpenſi hominis Cranium calore Solis dealbatum recipere jubent.) ℥. ii. pulveriſato quoque affunde de iſto Spiritu V.

Sexto ℞. Semin. tiliæ ex tilia annoſa circa

festum Michaelis ℥. iii. pulverisatis etiam affunde in peculiari vitro Spiritum V. istum: singula seorsim tres dies stent in digestione; postea singula seorsim colentur, & exprimantur: Colaturam expressam omnem misce, & si turbida est, filtra.

Deinde. ℞. Aq. florum tiliæ tantum, quantum est Spiritus V. istius adde Sachari cand. ℥. ii. & in vase clauso incalescant, donec sacharum liquescat: Hic liquor diligenter asservetur, cujus sumat æger mane singulis diebus cochlear. i. vel dimid. & potui, quem die uno exhausturus est misceantur duo cochlearia; Pueris instillentur gutt. 4. vel 5.

6. *Senn. lib.* 1. *Practic. pag.* 611. sequentem præscribit.

℞. Cranium Hum. non sepultum, destilletur per Retortam in arena s. a. igne valido, ac destillatio ter repetatur.

Postea ℞. Pæoniam marem cum toto comburatur, & cum aqua f. Lixivium.

Tandem ℞. Hujus lixivii.
Aq. Cran. Hum. an. ℥. iii
Castor. ʒ. i. ß.
Spec. diamosch. ʒ. ß. Destillentur per B. M. destillato adde
Margaritar. præparat. gr. xx.
Olei Vitriol. gutt. v.
anis. gutt. x. M. exhibeatur in Paroxysmo cochlear unum.

7. *Crato* Aquam suam Picarum cum Cranio parat, & est sequens:

℞. Picar. juven. No. x. scindantur in frustula, & infundantur in aq. paralys. & Pæon. an. q. s. Fiatque putrefactio per aliquot dies: postea adde

Flor. cordial Pæon.
Fol. rutæ, hyssop. anth.
salv. epithym.
Fl. til. lilior. convall, an. M. i.
Rad. Pæon. Ireos, Visci, q. an. ℥. ß.
tormentill. diptamn. an. ʒ. ii.

Sem.

Sem. Pæon. erucæ an. ʒ. ii.
Castor, Piper. long. fl. lavend. an. ʒ. iii.
Cinam. rasur. ebor. C. C. usti an. ʒ. ii.
CRANII MICROC. lapid. pretiosor.
Margarit. præparat. Corallor. præparat. rub. & alb.
Lign. aloes an. ʒ. i.
Stercoris Pavon. ℥. i.
Spec. electuar. c gemm.
Diamosch. dulc. aromat. rosat. an. ʒ. ii.
Zingib. zedoar. an. ʒ. i.
Folior. O. No. xx Contundantur omnia grosso modo, & addatur aq. flor. tiliæ, lavendul. meliss. an. q. s. F. s. a. destillatio per B. M.

8. Untzerus de Epilep. s. p. 157. seq. reliquit.

℞. Roris Vitriol. Aq. Pæon. an. lib. ß.
Rad. Pæon, Visc. q. minutim incisi. an. ℥. i ß.
Cranii Hom. suspensi & pulveris. ℥. i.
Camph. ʒ. ii.
Spiritus Vin. ℥. ii.
Vitriol. rectificat. ℥. ß. Omnia commixta in B. *M.* in digestione relinquantur per octiduum; & subtile à crasso ac spisso separetur, separatumque filtretur mundissime.

Dosis ℈. i. ad ℈. ii. pro una vice cum aq. Pæon. in ipsa accessione: *Modum* compositionis pluribus descriptum vide apud *Mylium* l. 5. *Basil. Chym. p. 61.* qui & in *Antidotar. pag.* 530. seq. habet.

℞. Rasuræ Cranii Hum. ℥. vi.
C. C. optimi ℥. v.
Visci q. ℥. iii.
Scobis ligni cupress. ℥. ii.
Sem. Pæon. ℥. i.
Aq. fl. pæon. q. v. infundantur ad tres digitos, digerantur, deinde cum aq. Cinam. distilla. per secundum cohobium: destillatum misceatur cum Sacharo Vitriolato ad acorem.

MAGIS-

MAGISTERIA.

Cum crudo CRANIO HUM. sequentes Pulveres *Magisterii* instar componuntur.

℞. Cinabar. Ungaric. natural. probe lot. & depurat. lib. ß. deinde imbibe cum Spirit. Vitriol. ℥. iii. Scobis *Cranii* humani nunquam sepulti ℥. i. ß. postea relinque in loco calido per 15. dies, & per Retortam destilla liquorem, & restans seorsim serva : Tertio.

℞. Scobis ungulæ alc. ℥. i. ß. *Myrrh.* rub. ℥. ß. solve in oleo s. Spiritu Salis, solutum à fæcibus separa, & serva : quarto ex *Croci* ℥. ß. cum Sp. V. Tincturam extrahe : liquores omnes simul misce, & iis imbibe paulatim Cinabrium lotum & pulverisatum calore lento semper exsiccando, donec omnem liquorem imbiberit, & in pulverem siccum Magisterii instar abierit,

Dosis à gr. ii, ad iv. cum Vino generoso, aut Sp. V. vel'aqua antepilept. in, ante & post Paroxysmum.

Aliud.

℞. Spiritus Vitriol. cordial. ℥. vi.
Cranii Hum. ʒ. iii.
Corallor. rutilant. Margarit. an. ʒ. i.
Aq. flor. til.
lil. convall. an. ℥. vii.
Sem. pæon. excortic. ʒ. ii.
Camphor. ʒ. i.
Olei fl. lavendul. g. xv.

M. Pulverem componendi modum describit *Mylius* in Basil. Chymic sequentibus : *Cranium*, Corall. & Margarit in pulverem subtilissimum redige : postea liquoribus ista omnia affunde : Exinde in arena calente per dies octo digerito : postmodum humiditatem omnem igne lento elicito , donec remanentia

manentia sicca in fundo vasis resideat: digestum exime, quod calcem albiss. referet: ℞. deinde dictam calcem additisque reliquis omnibus ingredientibus, subtilissime pulverisato: pulverem diligentissime servato.

Usus: Pulvis iste contra Epilepsiam puerorum, & alios Paroxysmos, vel timore, vel vermibus causatos, præsentaneo remedio exhibetur: Potest autem omni tempore & hora, necessitate postulante, porrigi: datur cum aq. calida destillata, aut cum jusculo, tenellulis cum lacte propinatur:

Dosis est à gr. tribus & quatuor in maxime debilibus, auctior tamen pro ætatis accretione, exhiberi potest & reiterari, si requirat necessitas: ab Infantibus modo natis per 7. aut 8. dies continuos sub vesperam præbitus tutos eos à memoratis accidentibus præstabit: Dosi præscripta singulis septimanis per totum semestre à malo Caduco potenter præservat: ita tamen, ut dosis pulveris prosymptomatum incursu subinde ad augeatur: Sedat enim pulvis iste tormina infantium, si ex cochleari pleno amygdal. dulc. & rec. propinetur. Phlegmata enim illa frigida, adeoque quemvis peccantem humorem purgat, qui stomachum, propter alterationem lactis, lactantium occupavit: & Infantes ab illa corruptione potenter præservat, quæ Vermes abundanter gignit & producit. Mulieres, quæ vel tremore Cordis, vel syncope crebrius laborant, eoque liberos epilepticos, ut plurimum pariunt, pulvere isto bis aut ter singulis mensibus Scrupuli pondere per vicem cum aq. Majoran. sumpto, mire se servari sentient: Quod si sex aut octo diebus mane ante partum exhibeatur, Naturam confirmat, à præternaturali item pavore defendit, Cor lætificat, & partum optatum, Deo bene juvante, procurat, non sine magno liberorum beneficio, quos ita à pluribus Paroxismis ab Epilepsia provenientibus præservat, &c.

De

De præparato CRANIO HUMANO,

Et primum DE CALCINATO.

NOn tantum CRUDUM in uſum Medicum venit, ſed & à ſpagyro varie præparatur, quo ſic feliciores perficiat operationes: Inter præparationes verò prima eſt CALCINATIO.

Hæc duplex eſt, vel vulgaris illa & rudis, vel Philoſophica: Vulgaris nil aliud eſt, quam uſtio, qua CRANIUM in craticula toſtum in pulverem redigitur, vel etiam in fornace intenſiſſimo ignis calore in calcem abit.

Philoſophica vero eſt, quæ in veſica perficitur actione continua mediante aqua dulci, per cujus vaporem Cranium in collo veſicæ, qua parte maximè attingi & penetrari queat, ſuſpenſum jucundo & miro modo ad perfectam albedinem abſque flammis violentis, vires alias exurentibus (ut in vulgari calcinatione fieri ſolet) calcinatur: ut habet *Hadrianus Munſicht in Theſauro Medico Chymic. p. 22.* Veſicæ autem pars quarta debet eſſe vacua, & ſi aqua inter ebulliendum evaneſcit, alia fervida affundenda, uſq; dum fumigatoria hæc calcinatio penitus abſoluta fuerit.

Loco itaque uſti & vulgariter calcinati, CRANIUM hoc modo præparatum ſubſtituere poteris; ſequentia autem nonnullorum auctorum medicamenta ſubjungere placet.

Adverſus EPILEPSIAM *Henric. Ranzovius lib. de ſanitat. tuenda* medicamentum Regis *Daniæ* Chriſtiani III. deſcribit.

℞. CRANIUM furis suspensi, vel alterius hominis, nullius tamen morbi interventu mortui: hoc in craticula tostum in pulverem redigito, deinde sumito grana Pæon. iii, atque hæc cum ℨ. i. prædicti pulveris & aq. lavendul. ad quantitatem unius cochlearis ægroto tempore matutino exhibe, postero & tertio die fac idem: jejuno autem stomacho hic pulvis sumendus est; hoc medicamentum habet ex eodem *Wecker. l. de secret. p.* 142.

In EPILEPSIA & PARALYSI D. *Schorterus in Consil. Brendel.* 12. *seq.* præscribit Tragæam.

℞. Coriandr. præparat. ℥. iii.
Anis. fœnicol. aceto temperat. an. ℥. i.
Visc. q. sem. Pæon. luna decresc. collect. an. ℨ. i. ß.
Cinam. elect. ℨ. ii.
Pulver. citon. exsicc.
Specier. rosat. novell. an ℨ. i. ß.
diambr.
Coral. rubr. an. ℈. iv.
CRANII HOM. Suspensi & usti.
Smaragd. veri an. ℈. ii.
Sachar. optim. ad pondus omnium *M.* F. tragæa.

Antepilepticum Electuarium sequens componit *Plathar.* l. i. observat. *p.* 20.

℞. CRANII HOM. cremati.
Cinerum hirundin.
ungul. alc.
Rad. pæon. Visci. q. an. ℨ. ii.
Rad. pyrethr. ℨ. i.
Herb. Hyssop. Polii mont.
Dictamn. Cret.
Fl. stæchad. an. ℨ. ß.
Sem. vitic. pæon. ocimi
scarl. siler. montan. an. ℨ. i.
Spic. mac. Cubebar. an. ℨ. ß.
Coral. utriusque ℨ. ii.
Coaguli lepor. ℨ. i. Cum syrup. de Pæon. rec. q. s. m. f. Electua.

In

In VERTIGINE seq. morsulos habet *Senn. l. 1. Practic. p.* 281.

℞. CRANII HUM. præparat.
Rad. pæon. Visc. q.
Cubebar. Gran. parady. an. ʒ. ß.
Spec. diamosch. d. ℈. ii.
Sem. pæon. pastinac. sylv.
carvi an ℈. i.
Sachari albiss. in aq. rosar. & rarissim. dissplut. q. s.
F. morsul.

Cum Cranio ita præparato conficitur Aqua illa Antepileptica elegans *C.* Dornavii, quam pluribus describit *Cl. Sennert l. 1. Tract. p. 626. vide Schenck. l. 1. obs. medic. p. 508. Alex. Massar. p. i. 22. Brendel. l. c. p.* 45. 49. 59. & alios.

Pulverem Epilepticum mirabilem ponit *Munsicht in Thesauro Medico Chymic. p.* 27.

℞. CRANII HOM. strangulati & sine igne calc. ℥. i.
Ungul. alc. visc. q.
Cinabar. factit. an. ℥. ß. M.

F. pulvis. Datur statim post paroxysmum Pueris ℈. ß. Adultis v. ℈. i. iteretur, certissime liberat.

Senn. l. c. p. 623. seq. ponit.

℞. Cinab. nativ. & mineral. veræ ℥. i. leniter supra ignem lentum in tabula torrefiat: postea subtilissime teratur, supra marmore in pulverem inpalpabilem: deinde adde
Margarit. præpar.
Coral. rubr. præpar. an. ʒ. i. ß.
CRANII HUM. præpar.
C. C. usti præpar. an. ʒ. i.
Croci ʒ. i. Exactissime misce, & iterum terantur super marmore.

Morsuli Cephalici adversus varios Capitis affectus cum CRANIO calcinato conficiuntur à *Munsicht. l. 1. p.* 151.

℞. Conf. fl. Pæon cum spir. Vit. prius tinctæ ℥. i.
Cranii hum. spagyrice calcin.

 C. alcis

Calcis similiter calcinat. an. ʒ. i.
Rad. & sem. pæon. j. t. collect.
Visci quern. an. ℈. iiii.
Ol. succin. alb. ℈. i.
lavendul. nucis mosch.
rorismar. an. g. vi.
Spec. diambr.
diamosch. d. an. ʒ. i. ß.
Sachar. albiss. lib. i. in aq. lilior. col. vall. disso. F. l. a. confectio in morsulis.

VIRES, USUS, DOSIS.

A tota substantia, tam in curando, quam præservando, Epilepsiæ, Apoplexiæ, Paralysi, Caro cæterisque periculosissimis Capitis, Cerebri & Nervorum affectibus prosunt: In præservatione Dosis à ℈. i. & ʒ ß. ad ℈. ii. & ʒ. i. in omnibus Lunæ quadris, malaque aeris constitutione. In curatione autem datur à ʒ. i. ad ii. in ipso Paroxysmo Epileptico, vel paulo post; vel per se, vel in vehiculis appropriatis: Et si necessarium fuerit reiterandum: Pueris, pro ratione ætatis dimidia, aut minor dosis sufficit.

In Sedando Catarrhi defluxu hoc exhibet *Weickard. p.* 106.

℞. Pulv. Cranii Hum. calcinat. ℥. ii.
Corall. albor. rasur. ebor.
C. C. usti an. ʒ. i.
Boli armen. ʒ. ii.
Nucis moschat. No. i.
Camphor. ℈. i. Fiat pulvis subtilis, ex quo, cum infusione Tragacanth. in aq. Cinam. facta, addendo sachari ad pondus omnium: Fiant Orbiculi, quorum usus sit vesperi ante somnum.

Contra tussim puerorum Mynsicht *l. c. p.* 35.

℞. Spec. diair. simpl.
diatragac. fr. an. ℥. ß.
Rad. Pæon. ʒ. ii.
Lactis Sulph. ℈. i. ß.

Succ.

Succ. liquirit. ʒ. i.
Croci Or. præpar. ℈. ii.
Cran. Hum. s. igne calc. ℈. i.
Sach. penidii ℥. iii. Misce & Fiat pulvis.

In sedando dolore ac strangulatione Matricis, non sine fructu expertus est seq. *D. Nævius in Consil. Scholtz. 357.*

℞. Sem. dauc. ℥. ß.
pastinac. syl. ʒ. ii.
Rad. & gran. Pæon. excortic. ligustic.
Sem. cymin.
Anterioris ossis Cran. Hum. ex sutura coronali, usti.
Cinam. elect. an. ʒ. i ß.
Baccar. laur. Zedoar. el. an. ℈. iv.
Fol. betonic. Rad. bistort. an. ʒ. i.
Succin. alb. amneos sesel. an. ʒ. ß. redigantur singula in tenuissimum pulverem & misceantur.

Dosis, mane & sero cum aq. matricar. betonic. & modico Vini albi, clari.

Externus usus Cranii usti.

In vulnerato Cranio *D. Poppius l. 1. Thes. med. p.* 184, seq. tradit.

℞. Succ. Pimpinell. P. vi.
Cranii Hum. calcinat. P. iii.
Pingued. human. q. s. Misce ad formam Unguenti, & unge eo vulnus.

Vel. ℞. Ossis calcinat. Cran. Hum. pulverisati instar pollinis, admisce medull. crur. human. rota confracti q. s. Utere, ut supra.

Aqua ex Cran. Hum. destillata.

Simplicem modum exhibet *Balduin Clodius in Officin. Chymic. p.* 45.

℞. Cranium Hum. pulverisa, & destilla exinde aquam, quam secunda vice rectifica: Deinde ℞. Es-

℞. Essent. Perlar. ʒ. ß. Rad. Pæon. Castor. an. ʒ. i. Musc. meliss. anacard. an. ℈. i. & aquæ Cran. Hum. ℥. i. Inde propina ægroto cochleare unum in initio Paroxysmi.

Vel

℞. Cran Hum. non humat. pulverisa, & ex Retorta per arenam aquam inde destillando elice: provenientem fæcibus affunde, & secundo destilla: tandem rectifica per B.

Hujus aq. ℞. ℥. iii.
Castor. ʒ. i.
Specier. diamosch. d. ʒ. ii.
Mellis anacardin. ʒ. ß. destilla adhuc semel, & adde succi Perlar. ℈. ii.
Ol. Vitriol. g. v.
anis. g. x. misce, & jejuno patienti exhibe per novendium cochleare unum.

SPIRITUS OLEUM, SAL CRAN. HUMAN.

℞. Unum, aut alterum Cranium rec. exquisitissime omni carne nudatum, & in frustula, aut ramenta concisum, in Cornutam immittatur, cujus tubo adhæreat capax recipiens, ne strictius spirituum vi & copia ex Retorta arenæ immersa & inhumata prodeuntium, dissiliat. In qua operatione igni nequaquam parcendum, qui infra, supraque ac circumcirca, ita ex arte est admovendus, ac assidue perflandus, ut Retorta ex incendio excandescat & exardeat, nec ab igne fovendo prius desistendum, quam ex Cornuta spiritus albidi in Vas Recipiens effluere desierint: quod facile cognoscetur ex Recipientis Vasis declaratione, cujus perspicuitas nihil spirituum amplius exhalantium, aut rubri olei, unde antea, turbabatur, restare, satis arguet. Quo cognito ab ignis continuatione cessandum: sinendumque est, ut per se sensim extinguatur, & citra tactum vasa refrigescant: à quibus agitandis supersedendum ad horas 24. ut per otium spiritus melius in Recipiente firmentur,

firmentur, insideant ac conquiescant: Ex quo tandem effundendus seorsim liquor subalbidus, ac instar lactis turbidus, qui ex singulis Craniis ad quatuor circiter, aut quinque Uncias extillare solet, cui rubrum oleum Sanguinis instar, supernatabit ad sex Drachmas, vel semiunciam: at fæces in fundo Retortæ residuæ, carbonis instar comminuti, nigerrimæ in cineres albos erunt igne Reverberii redigendæ, ex quibus Sal. Aqua Pæoniæ, aut alia antepilepticarum eruatur (Phlegma enim unius alteriusve Cranii huic rei satis esse nequit, nisi forte copiosa ex multis Craniis prolicia tur!) Ejusmodi autem Sal solvatur, filtretur ac coaguletur, cum eadem ipsa aqua: idque multoties repetatur, dum perfectissime emundatus sit ac depuratus: Interim autem dum hujus Salis operationi incumbetis, ter aut quater repetetis ac interabitis liquoris cum Tinctura sua supernatante conjuncti, destillationem.

Cum autem omnia ista gravem admodum ac fragrantem odorem spirent, ut is detrahatur, trajiciendus erit liquor per modicum Colchotaris, qui vere aureus ac summe pretiosus inde evadet. Mercurium cum sua Tinctura mixtum, oleo aut Sulphure, continens, in quo liquore, si Salem suum dissolveris, qui per se solusque summum est Epilepsiæ remedium in perfectissimum evadet medicamentum.

Hujus g. ii. aut tres ex semicochleari aquæ Antepilepticæ aut Theriacalis intra & extra Epilepsiæ Paroxysmum exhibitæ, idque per mensem singulis diebus continuatum, perfectam hujus mali curationem, favente Deo, suppeditat, ut docet *Quercetan, in Tetrad. p.* 325. qui compositionem hanc Magisterium Cran. Hum. vocat.

Spiritus iste simplex tum per se, tum aliis mixtus propinatur. Infantibus, g. vi. vel vii. adultioribus plures exhibentur: sal quoque volatilis, qui in destillatione colligitur maxime valet, ut habet *Senn. L. 1. Practic. p.* 663.

Reperiuntur & apud autores plures alii modi eliciendi Oleum ex CRAN. HUM. quorum nonnullos consignandos duxi.

Andernacus Comm. 2. de Nova & Veteri Medic. Dialog. 7. p. 641. sequentem reliquit.

CALVARIA in pulverem contunditur, in vino stillaticio, vel aqua Betonicæ irrigatur paululum: deinde vasi fictili vitreato imponitur, & per descensum super aquam Pæoniæ, quæ subjecto vasi infunditur, oleum excillatur: hoc postea in fimo digeritur, corrigiturque, & per cineres calidos rursus evocatur, dum clarum fiat: Peculiare ad morbum comitialem auxilium,

Vel.

℞. Limaturæ CRAN. HUM. violenter mortui, & nunquam humati q. v. inde curbitæ vitreæ, eique superfunde spir. V. optime rectificati ad eminentiam trium quatuorve digitorum: Vitrum optime clausum ne quid expiret, pone ad digerendum in arenam calidam per tres aut quatuor septimanas, quotidie agitando materiam, & sensim spiritum tuum affusum colore rubicundissimo tingi videbis, quem ita tinctum & coloratum, per Vitri inclinationem effunde in aliud vitrum, posteaque per chartam emporeticam bis vel ter filtretur, seu coletur, ac ita filtratus ac depuratus, usui reservetur.

De quo Epileptico cadenti, vigesimum ætatis annum egresso. Guttas 8. 11. 15. cum ℥. dimidia aquæ Pæon. exhibe.

Libavius l. 2. Alchym. tr. 2. p. 137. & 148. De hoc Oleo agit, & p. 408. sic inquit: CRANIUM recens pulverisatum mediocri igne per Retortam destillant, additis aquis antepilepticis: Oleum non facile apparet: Itaque quod destillavit, refunditur suis fæcibus etiam quarta vice: ultimo debet esse fortis; corrigitur ablutione, maceratione & repetita destillatione super aqua flor. Pæon. spiritu Vitrioli condita, aut destillatione limonior. Vide *Untserum, tr. de Epileps. p. 155.*

Henricus

Henricus de Scheinis in Apothec. Spagyrisk. p. 44. hunc præscribit modum.

℞. Rasuræ CRAN. HUM. Salis fusi & contusi an. q. pl: misce, & destilla per Retortam, recipiente magno præposito: Serva primum Phlegma spiritibus permixtum: frange Retortam, materiam exime, sic Cranium instar spongiæ sali adhærens apparebit, quod separa à sale, & tere, indeque phialæ: adde supradictum Phlegma, pone in digestione, & quotidie materiam movendo agita, tamdiu, donec instar pultis incrassescat: Tum Retortæ inde & destilla secundum ignis gradus, quarta hora egredietur oleum flavum CRAN. HUM. quod à Phlegmate separetur.

Hoc Oleum *Henr. Petnæus in Nosolog. Hermetico Dogmat. tr.* 1. *p.* 139. cum Spiritu Vitrioli mistum in aq. lilior. Convall. exhibitum, egregium esse scribit in Epilepsia: Dosis G. iii.

Alius modus extrahendi & conficiendi SALEM CRANII HUM.

Hunc apud *Quercetan. in Tetrad.* p. 328. legimus descriptum: sic. à. ille:

Cum non semper CRANIUM recens occurrat, nec pervius sit omnibus illius excarnandi modus, ut illis, qui de more in Anatomiis versantur, eorum loco usurpari illa poterunt, quæ recens è sepulchris effodiuntur, & si aliorum bonitatem non æquant, quod minus Mercurialis essentiæ. aut nihil prorsus obtineant, quam quæ recentia sunt, & nunquam sepulchro condita, abunde possident & retinent: nihil enim in his humo absorpta est, ut in aliis, quæ diutius Cœmeteriorum terra nitrosa obruta, atque idcirco ab ea omni carne, medulla & liquore spoliata, quem à propria Natura Mercurialem & sulphureum obtinent, prorsus exaruerunt & depasta sunt: Quod eorum Salibus non accidit, quos propter fixiorem illorum naturam in residuo ossium restantem, terra non attingat, ne dum possit absumere: Hac enim ratione ad infinita sæcula ossa & nitida & integra, citra ullum formæ, aut

aut fixioris suæ substantiæ detrimentum & jacturam pesstare, ubique perspicere est: Eligantur autem ea Crania, quæ minorem in sepulchro moram passa fuerint, ex quibus Sal, ut sequitur, proliciatur: quod præsentius, & magis specificum Epilepsiis futurum est remedium, quam si Pulvis solus, aut imparatus, aut ad albedinem calcinatus, exhibeatur: siquidem Sal, qui ex Cranio arte extrahitur, in liquorem facile resolvitur, qui eo venis nostris ac spiritibus communicabilior est & penetrantior ullo pulvere, aut cineribus terra sua & corporea mole adhuc obtusis & expressis: &c. *Modus* autem parandi est sequens.

℞. Tria, quatuor, aut etiam plura CRANIA, quæ parum diu in terra delituerint: ea in frusta contundantur (solum Calvariam intelligo, citra maxillas, aut mandibulas) quæ prius Vino optime detersa & mundata, postea in Vinum album infundantur, in quo Caryoph. mac. flor. rorism. lil. convall. tiliæ, calendul. salv. macerata fuerint: quod bis aut ter subinde repetendum: atque sic parata Craniorum frusta in cupellam terream, non vitreatam immittantur, quæ in furno reverberationis posita flamma carbonum, non ligni in calcem, aut cinerem redigantur albissimum. Qui quidem cinis in matratium vitreum injiciatur, cui tantum aquæ rorismarini superfundatur, ut quatuor aut quinque digitos superemineat: obducatur firmissimo luto vas, quod abiete & cera constet Hispanica, nequid expiret: atque in *M*. B. bulliente collocetur, in quo ad quatuor aut quinque dies in digestione & circulatione retineatur: quo tempore aqua, lixivii instar, cranii sale tingetur ac impregnabitur. Refrigerato vase, aqua per inclinationem effundatur, & materiæ recentem aquam superfunde denuo, ut nova fiat digestio & Circulatio, ut supra, idque toties reiteretur, donec totus Sal in aquas transierit. Istius aquæ Sale impragnatæ, vel dimidium cochleare argenteum propinari potest, in curationem vel præsentis vel futuræ

Epile-

Epilepsiæ Chronicæ. At si ab ista aqua Salem separare voluerimus, omnes istæ aquæ imprægnatæ in alembicum profundantur: ex quo destilletur aqua à Sale, qui in fundo alembici remanebit: quem, si animus est, puriorem reddere & crystallinum, solutionibus, filtrationibus, coagulationibus identidem crebro repetitis ad summam puritatem deducetur: qui & solus pretiosissimus est ac magnæ virtutis: verum & aliis permiscetur ut in fine hujus capitis videre est.

EXTRACTUM.

Quercetanus in Pharmacop. dogmatic. restitut. hanc habet Extracti descriptionem *p. 726.*

℞. Duo vel tria Crania recentia, hæc in mortario crasso modo terantur: materia trita indatur in matratium capax cum longo collo, superaffundendo Aquam vitæ Juniper. vel Salviæ; ut 4. vel 5. digitos supernatet: vase accuratissime clauso, ne quid transpiret: fiat digestio in B. vaporoso per duodecim dies ad minimum: post coletur & exprimatur materia per torcular fortissime; ex qua liquor exibit rubicundus instar sanguinis, qui oleosus & resinosus erit; iterum affundatur fæcibus novum menstruum digerendo per 4. vel 5. dies, colando & exprimendo adhuc omnia per Torcular, ita ut omnis essentia substantifica exactissime extrahatur. Omnes hæ expressiones & liquores invicem mixti, & in alembicum inditi destillentur per B. vaporosum, donec remaneat Extractum instar sapæ, inprægnatum tum Sulphure, tum Sale, quo potissimum Cranium abundat, imo fere totum Salinum existit. Hoc extractum, digestum & perfecte depuratum, tanquam Thesaurum pretiosissimum adversus Epilepsiam diligenter serva.

Dosis ℈. ß. ad ℈. i. cum aqua appropriata: commendat idipsum *Rodericus à Fonseca l. 1. consult. medicin. p. 121. Vide & Libav. l. 2. Alchym. tr. 2. pag. 218. & Alchem. Pharmac. p. 150.*

Vel.

℞. Rasuram non humati Cranii, decoq. cum Melissæ Spiritu & Betonicæ decocto, effunde seorsim aquam, iterumque novam affunde, donec nulla vis Cranii amplius remaneat: Tum aquas omnes in B. evapora: remanet in fundo coagulum, quod iterum resolve, evapora & coagula tantisper, dum igne lentissimo materia in fundo remanens sublimari possit: Quod sublimatum multum confert Epilepticis, & alvum sine perturbatione, quamvis copiose movet.

ESSENTIA.

Limaturam Cranii Hum. nunquam humati, sed aere exsiccati, cum Spiritu Vini Salviato ad superem inentiam sex digitorum digere per quindecim dies: deinde more aquæ fortis per Retortam destilla: liquorem capiti mortuo reaffunde, denuo per quindecim dies digere, ac vicissim, ut prius destilla, idque tertio repete: Destillatum omne per quinque aut sex dies digere circulando, & tandem Spiritu Vini lento B. calore per alembicum destilla: Essentiam, instar coaguli in fundo remanentem serva. Hæc Paracelso propter mucilaginosam substantiam Galreda dicitur: de qua *Libav. l. 2. Alchym. tr. 2. pag. 127. Quercetan. de Spagyric. medicam. præparat. pag. 104.*

Est Epilepsiæ verum Curativum. Si ejus gr. v. aut vi. in convenienti vehiculo exhibeantur: Conficiuntur etiam sequentia cum eadem essentia, sive etiam prædicto Cranii liquore parata medicamenta.

Quintam Essentiam Cranii Humani, quam & Arcanum vocat, describit Faber in Myrothecio Spagyr. l. 1. c. 9.

Sumatur, inquit, Cranium Humanum, sepulturæ non datum eo quod Sal terræ his sepultis Craniis illico conjungitur: Et caro, dum resolvitur per corruptionem in Salem abit, qui Ossa penetrat, & Sali Ossis connectitur, aut si longius ambo permaneant,

neant, corrumpitur tandem Cranium, & dissolvitur in corruptionem, quia Sal tum Internus, tum Externus corrodunt illud & dissolvunt: Sumatur ergo Cranium, quod diu noctuque cœli aperti, & Jovis frigidi injuriis expositum est: Contundatur in frustula, & ollæ novæ non vitreatæ imponatur, cooperiatur suo tegumento, & comburatur fortissimo igne, donec optime candescat: Calx istius Cranii adhuc igne candens projiciatur in aquam Pæon. aut fl. tiliæ, aut in Phlegma Vini depuratum, & ter saltem destillatum, cui dissolutum sit parum Salis Vitrioli s. a. deinde auferatur & iterum plusquam fortissimo igne comburatur & calcinetur, & candens adhuc projiciatur in eandem aquam & simul per sesquihoram bulliant in Catino stanneo, aut argenteo: Bullitione frigida facta, aquam impones vitreo vasi, ut fæces seponat: His sepositis, aquam clarissimam & limpidam factam per inclinationem in Catinum stanneum, aut argenteum, aut vitreum alembicum infundes, ad evaporandum quicquid erit humiditatis. Sal in fundo remanens calcinabitur fortissimo igne in tigillo forti, & adhuc calens & candens projicietur in aquas supradictas, iteretur opus, donec Sal ad summam devenerit puritatem & nitorem, quod in septima saltem calcinatione continget: habito huic Sali puro & nitido, conjunge Spir. dulcem Vitrioli (sit autem dulcis, si eum rectifices cum Spir. Vin. optimo, & à Phlegmate puro) & serva in vase vitreo, perquam optime clauso, aut si destilles super limaturam ferri ter aut quater, aut super coralla rubea.

VIRES & USUS.

1. Mirum & stupendum arcanum est contra inveteratas & recentes Epilepsias, per Idiopathiam capitis, & communicationem aliarum partium inferarum, vapores sursum ferentium contractas.

2. Hemicraniam & Vertiginem curat; ex quacunque causa ortum habeant. 3. Omnes

3. Omnes ſenſus, tum externos, tum internos acuit.

4. Membrorum tremori ſuccurrit, & convulſionum omnium ſpeciebus.

5. Paſsionibus tandem omnibus capitis, tum frigidis, tum calidis, occulta quadam proprietate ſuccurrit.

Sumitur mane, jejuno ſtomacho, cum optimo Vini Spiritu, & noctu eundo cubitum, modo digeſtio peracta ſit, hoc eſt, tribus horis à cibo ſumpto.

I. Confectio Antepileptica.

℞. Liquoris Cran. Hum. ℥. vi.
Specier. diamoſch. dulc. ℥. ß.
Confect. anacard. Caſtor. an. ʒ. iii. viciſsim ex Cineribus per Retortam, vel potius ex Roris deſtilla, liquori deſtillato adde

Salis perlar. ℈. iv.
Spiritus Vitriol. antepilept. ℈. i. Miſce. De hac confectione ſ. Mixtura exhibe Epileptico Cochleare unum quotidie jejuno ſtomacho, continuando ad dies novem.

VI. Mixtura Antepileptica *Unzeri*.

℞. Liquoris C. C. ʒ. vi.
Miſturæ ſpiritualis.
Eſſentiæ Cran. Hum. an. ℥. ß.
Extr. Pæon. ʒ. ii.
Juniper. ʒ. i.
Syr. de ſucco Pæon.
cinam. an. ℥. i.
Moſchi, ambræ an. gr. iv. Miſce perfecte. Doſis eſt cochlear parvum.

Miſtura illa Spiritualis, cujus in compoſitione facta eſt mentio, ſic fit.

℞. Spiritus Theriacal. camphorat. ℥. i.
Tartar opt. rectific. ʒ. v.
Vitriol. opt. ʒ. ii. ß. Optime invicem miſce. Doſis hujus ℈. i. vel ʒ. ß. Certe tum in expugnando & abigendo tum in futuro arcendo paroxyſmo

roxysmo Epileptico ad stuporem usque hæc mistura operatur, ut ipsi in uno aut altero exemplo præsertim in pueris ac juvenibus compertum habemus.

Spiritus Theriacalis Camphoratus sic paratur.

℞. Theric. Venet. antiq. ℥. v.
Myrrh. rub. ℥. ii. ß.
Croci ℥. ß.
Spiritus V. optim. ℥. x. Inditis omnibus Cucurbitæ vitreæ, impositoque alembico cæco, in cujus rostro prius sint positæ ʒ. ii. Camphoræ stent in Infusione per Octiduum in loco calido; deinde fiat in M. B. distillatio igne lentiss. Sic habebis Spiritum Theriacal. subtiliss. calidiss. ac penetrantiss. qui vel solus ʒ. i. ß. vel ʒ. ii. pondere cum cochleari aq. Carduib. exhibitus ad miraculum sudorem prolicit, venenumque contagiosum in totum disjicit ac dissipat, id quod non uno experimento in peste Hallensi, quæ viguit An. 1610. compertum habuit *Untzerus*, ut ipse testatur *tract. de peste pag.* 244.

III. Tabulæ Epilepticæ, quas notat *Libav. in Alchym. Pharmaceut. pag.* 221.

℞. Conserv. ex pulpa Citri vel Limon. ℥. i.
Magister. matris perlar. ʒ. ii.
Essentiæ Cran. hum. ʒ. i. ß.
Magist. perlar. ʒ. i.
Salis C. C. ℈. i.
Sachar. dissolv. aqua ex succo Citri destillata. ℥. iii. m. f. l. a. Tabulæ.

MEDICAMENTA CUM SALE CRANII HUMANI COMPOSITA.

Qui Sal Cranii parari possit supra delineatum est, jam composita cum Sale Medicamina subjungenda; quorum primum reperitur apud *Quercetanum in Pharmacop. Dogmat. restitut. pag.* 444. & est.

Tragæa Antepileptica.

℞. Essent. Corall. margar. an. ℈. iiii.
ungul. alcis veræ.
Unicorn. an. ʒ. ß.
SALIS CRANII HUM. ʒ. i. ß.
Pulv. fl. lilior. convall.
calendul. tiliæ arbor.
anth. an. ℈. i. ß.
Sem. pæon. rutæ,
Visci q. an. ℈. ii.
Lap. Bez. veri, Ambræ gryſ. an. ℈. i.
Cinam. Cardamom. lign. al. an. ʒ. i.
Camphor. ℈. ß Sachari anthoſat. q. ſ.

Epilepticus post generalem & congruentem vacuationem hujus Tragææ capiat semicochlear, continuando per integrum mensem: qua sumpta statim unam atque alteram Unciam aquæ antepilepticæ superbibat, moxque sudet, & in cæteris bona victus ratione utatur.

Idem, ibidem p. 478. sequentem componit.

Antidotum Cephalicam, quæ

℞. Extracti Cephalici major. (cujus descript. *vide ibid. p.* 480.) ℥. ii.
Magisterii Cranii Hum. ʒ. i. ß.
Salis Cran. Hum. ʒ. ii.
Essent. Castor. ℈. iv.
Spec. diambr. diamosch. dulc. an. ʒ. i.
Ol. Garyoph. nuc. mosch an. destill. g. x.
Syr. conserv. citr. q. ſ. Misc. F. Electuar.

Dosis est ℈. i. Juvatque hæc Antidotus inprimis ad omnes Cerebri affectiones ejusque substantiam, facultatem animalem mirifice corroborat: prodest apoplex. epilepſ. vertig. fumosque vaporosos qui in sublimi regione Cerebri suspensi, somnolentiam, stuporem & torporem plerumque inducunt, dispellit & discutit; memoriam roborat, oculorum

lorum hebetudinem acuit, ad aurium tinnitum & surditatem confert, & humores lentos crassosque extenuat & dissipat; non neglectis tamen universalibus.

Untzero seq. placet cum Sale Confectio *pag.* 223. *l. c.*

℞. Extr. gran. Junip. ℥. ß.
paeon. fl. til. an. ʒ. i.
Essent. succin. ʒ. ii.
castor. ℈. ii.
Magist. Corallor.
Salis Cran. Hum. an. ʒ. ß.
Ol. stillat. Salv. ℈. ß.
fl. lavend. Gr. 7. Syr. de succo Cerasor. q. s. Misce invicem & redigantur in Electuarii mollis consistentiam.

Dosis ℈. i. vel ʒ. ß. vel etiam plus cum pauxillo Aq. Paeon.

Crato Consil. Scholzian. p. 88. commendat, seque bono successu *Wiennae* usum fuisse seq. pulvere cum Sale Cr. parato testatur.

℞. Magister. Corall. & Perlar. & cum Sale Cran. Hum. pulvere ex Cinabrio antimon. & sublimat. in praeparatione Mercurii Vitae elevato, conjunge: fit sic praestantissimus adversus Epilepsiam pulvis.

Mylius l. 2. *Basyl. Chym. pag.* 88. ex aliis hanc habet Medicinam Cephalicam cum eodem sale paratam.

℞. Salis Carn. Microc. ℥. ß.
perlar. Corall. an. ʒ. iii.
Castor. recent. ʒ. i.
Spec. diamosch. d.
Confect. alkerm. an. ʒ. ß.
Mellis anacard.
Cinam. an. ℥. i. Mixtis his atque extractis circulentur artificiosissime cum duabus superioribus ingredientibus.

Tinctura confortans ejusdem p. 592.

℞. Dianth. diamosch. d.

diacalaminth.

diacalaminth. plires arch. an. ℥. i.
mac. cubebar. caryoph.
granor. pæon. an. ℥. ß
Salis Cranii Hum.
Magister. Corall. perlar. an. ℈. i.
Piper long. Carui. Zing. an ℈. ß.
Sachar. lib. i. F. cum Vino super lilia convallium correcto Tinctura artificiosa.

Hactenus de Cranio & ejus præparatione, restant nonnulla de

OSSE TRIQUETRO.

Hoc aliis Triangulare dicitur, & negat idipsum in Cranio reperiri Thomas Erastus; Paracelsumque idipsum affirmantem mendacii arguit: Verum immerito. Etsi enim Erastus idipsum suis nunquam conspexerit oculis, alii tamen celeberrimi Medici, fide maxime digni idipsum viderunt. *Clariss. Sennert.* de seipso scribit *lib. 1. pract. pag.* 663. penes se adhuc esse ejusmodi ossicula, quæ ex dono cujusdam Medici habuit: monstrabat & mihi aliquando D. Petræus p. m. Marpurgi ossicula illa; qui & *Nosolog. suæ pag. 1. disput. de Epileps.* inter specifica antepileptica ea numerat: huic subscribunt & alii, inprimis *Francisc. Tidicæus tr. de Theriac. pag. 290. Senn. l. c. pag. 619. Poppius cap. de Epileps. p. 58. Hildan. Centur. 1. epistol. 65.* sic ad quendam.

Mitto ossa aliquot Triangularia, quæ ad Epilepsiam debellandam singularem vim habere expertus sum: Ante sexennium ultra centum horum ossium habui; inter quæ, quod notandum, vix duo reperiebantur, quæ sibi invicem magnitudine & figura respondebant.

Potest vero ossiculum illud in principio Paroxysmi vel per se in convenienti liquore, vel cum aliis medicamentis misceri, & Epileptico, Vertiginoso & similibus exhiberi

CAP.

CAP. V.

DE USNEA sive MUSCO CRANII HUMANI, & simul de Unguento Hopliatrico sive Armario.

VSNEA Microcosmi, nil aliud est, quam muscus ille, qui Calvariæ humanæ adnascitur: hancque revera dari vel loca sepulchris destinata docent. Sic Hildanus partem ejus inde desumptam, immo frustum Cranii hum. cui Usnea adhuc dum adhærebat, amico cuidam transmisit, ut videre est Cent. 3. observ. 38. Utrum vero Usnea hæc in Craniis suspensorum inveniatur dubitat quidam magni nominis Medico-chirurgus, qui se nunquam eam reperire potuisse ait, pergitque: Et profecto, quomodo Craniis in patibulo Ventis, pluviis, grandinibusque impetuosis expositis, Usnea adnasci possit, nondum video. Verum vix sufficere videntur hæ rationes ad impugnandam Usneæ generationem in Cranio suspensorum.

Primum enim, quod ipse non observavit, observarunt alii Medici clarissimi: Immo est adhuc nunc aliquod Cranium apud Clarissimum Ducis Boruss. in Regiomont. Pharmacopœum Dn. Casparum Pancerum, exoticis & raris gaudentem, quod ex patibulo fuit desumptum Usnea decoratum.

Deinde: Venti, pluviæ, grandines magis disponent solidam Cranii partem, quo Solis radii in caput totum agentes, facilius florem hunc ex ipso Cerebro, alias, ut supra dictum, magnarum in Medicina virium, elicere & evocare possint: hinc, teste Tabernæmontan. lib. 2. pag. 488. nonnulli Medici aut Pharmacopœi Cranium aeri locoque humidiori exponunt, quo sic facilius muscus proveniat.

Tertio, nec impetus eorundem Meteororum

generationem

generationem hanc impediunt, cum & è locis minus dispositis, imo saxeis, & illis tempestatibus æque expositis, herbulas egregias enasci videamus:

Enascitur ergo & adnascitur Muscus, quem *Libav. l. 2. Alchym. p.* 185. florem Cranii appellat, Craniis strangulatorum, rota contusorum, aut palo affixis, aliisque in locis sepositis capitibus ex sepulchris desumptis: cujus usus est

1. *In Hæmorrhagia narium*, si portio ejus indatur: sic enim *Hildan. Centur.* 2. *pag.* 54. Moscum, qui Craniis hominum aeri expositis, adnascitur, in subtilissimum pulverem redactum præstantissimum esse in sistenda Hæmorrhagia non raro expertus sum: subscribit *Finckius pag.* 68. *Paracels. in manual. pag.* 94. *& Tabernemont. l. c.* Ego similiter exoptatum in Praxi ejusdem vidi effectum, desperatamque sic emendavi hæmorrhagiam, tum in Juvene quodam An. 1626. qui jam pro agonizante ab astantibus habebatur, tum in aliis.

Eandem in sindone rubra de collo suspensam in simili casu commendat *Senn. l.* 1. *Practic. pag.* 977. ubi & compositum amuletum cum eadem parat, & est sequens.

℞. Cinerem bufonis unius.
Lapid. hæmatit. ʒ. ß.
*M*usci Cran. Hum. pulverisat.
Umbilici marini.
Corall. rubr. præpar. an. ℈. i.
Rad. tormentill. bistort. an. ʒ. ß.
Bursæ pastor. fl. bellid. minor.
anagall. rubræ an. P. i.

Fiat pulvis qui in sericum rubrum includatur, Fiat saccus collo appendendus.

2. In Hæmorrhagia Vulnerum:
Weickard. p. 566.

℞. Thuris, Aloes an. partes æquales, pulverisa subtilissime, & cum albumine Ovi incorporentur, addendo *M*uscum de Cranio hominis defuncti, excipiantur lanugine Panni veteris, & utere. *Hildan. Cent.* 1. *Epistilar. Centur.* 4. *Observ.* adnexarum

xarum sequens Pessarium ad sistendum sanguinem commendat.

℞. Farinæ volatilis ℥. ii.
Terræ sigill. Sanguin. dracon.
Gypsi, Ciner. aquatil. ranar. an. ʒ. iii.
*M*usci Cran. Hum. ʒ. i. *M*isce Fiat pulvis subtilissimus.

Untzerus lib. de Pest. 3. p. 267. Usneam in manibus retentam in Hæmorrhagia incantamenti instar quemcunque sanguinis fluxum è vestigio supprimere & restinguere tradit.

3. In Dysenteria.

Poppius l. 2. Thesaur. med. p. 410. ℈. i. Usneæ exhibet.

4. In Uteri procidentia:

Hinc Weickard. pag. 356. In uterum sequens injiciendum efficax esse scribit:

℞. Grandul. exsiccat. ℥. iii
Usneæ Gran. ℥. i.
Rad. consolid. bistort.
tormentill. an. ℥. ß.
Terræ sigillat. ʒ. iii.
Lapid. calamin. Ciner. sarment.
Herniar, siccæ an. ʒ. ii.
Absinth. ʒ. i. Coq. in aq. fol. quercus, & tertia parte Vini rubri ad *M*ens. 1. pro injectione, quæ efficacior erit, si parum aluminis addatur.

5. Sunt, qui in desperato mensium profluvio ex Usnea pillulas parandas & exhibendas suadent. E.g.

℞. *Musci Cran. Hum.*
*M*agist. Corall. perlar. an. ℈. ß.
C. C. Philos. præparat. ℈. i.
Boli Orient. gr. vii. *M.*

Alii linteolo obvolutam Usneam inferiori immittunt parti.

6. Ingreditur quoque confectionem Unguenti Hopliatrici, cujus basin constituere nonnullis creditur; de quo hic paululum agere placet: Unguentum hoc alias *M*agneticum dicitur, quod, ut *M*agnes ferrum abscondita & occulta facultate trahat,

hat, ita & haut dissimili occultaque vi vulnus inflictum sanetur: alias Armarium, vel etiam *Martiale*, quod non vulneri, ut communiter fieri solet, sed armis unguentum affricetur, & sic sanatio peragatur; alias Sympatheticum, quod ejusmodi cum vulnere habeat sympathiam, ut, si nonnihil sanguinis, quod telo adhæreat, eo imbuatur, virtus sanativa à cœlo in vulnus transferatur, & in hoc ex disjunctione & solutione unitatis, Unionem efficiat naturalem; vocatur & Stellatum, quod à sideribus mirificam illam facultatem habeat; vel, quod certo stellarum positu & constellatione componendum sit.

Quis hujus Unguenti autor primus sit, dubitatur: Nonnulli Paracelsum fuisse existimant, verum in Tomis ejusdem, ne gry de eodem reperitur: *Keckerm. lib. 1. Systemat. Physic. c. 9.* Curationis hujus per prædictum unguentum autorem Italum quendam Parmensem Anshelmum insignem Magum fuisse asserit.

Descriptiones ejusdem Unguenti variæ circumferuntur, & diversimode à diversis paratur.

Weickerus l. 5. de secret. p. 189. & ex eo *Franciscus Tidicæus de Theriac. pag. 279.* sequentem ponunt compositionem.

℞. Usneæ Humanæ. ℥. ii.
Axungiæ hum. ℥. ii.
Mumiæ. Sanguin. Hum. an ℥. dimid.
Ol. lin. ℥. ii.
rosar.
Boli armen. an ℥. i.

Omnia simul in mortario terantur tamdiu, donec subtilissimum inde fiat Unguentum, quod in capsulam reponas, ut, cum vulnus aliquod oblatum fuerit, lignum in sanguine vulneris intingas, ut sanguinolentum fiat, quod exsiccatum Unguento supra scripto prorsum intrudatur, & in eo relinquatur: Postmodum vulnus mane singulis diebus recenti fascia, lotio proprio patientis madefacta ligetur, & sanabitur, &c. Poteris ad hunc modum

dum curare distantem à te miliaribus decem, aut viginti, cum sanguinem ejus habueris: Prodest etiam ad alios dolores, uti dentium, & quorumvis damnorum, sanguinolentum lignum hoc in Unguentum trusum, & in eo relictum: Item, si clavo pes equi per ferrarium fabrum læsus fuerit, ligno sanguine tincto, & in capsulam truso, vel in Unguentum ibidemque relicto, curabitur.

Aliam descriptionem habet *Fr. Tidicæus p. seq. & seq.* describit.

℞. Axungiam Apri, alii habent Fibri, i. e. Castoris, id quod rationi consentaneum est, propter utilitatem, quæ ex Castorio in Theriaca expectatur.

Axungiam Ursi, quæ quo vetustior est, eo melior: Hæc dissolvantur igne leni, tum infundantur aquæ frigidæ, inde quicquid salsuginosi inest, subsidet in fundo.

Tum accipe lumbricorum terrestr. purgatorum uncias tres.

Spermat. ranarum ℥. tres. Hæc exsiccentur supra prunas in patella ferrea, eousque, ut pulverisari possint: In confectione Unguenti accipe

Lumbricor. tostor. ligni santalin.

Lapid. hæmatit. rad. consolid. maj. an. ℥. ß.

Usneæ Human. ʒ. ii Hæc omnia in pulverem redigantur tenuem, huic admisce Axung. Ursi. apri sylvestr. an. ʒ. x. vel tantum ut æquale pondus sit pulverum & pinguedin. bene invicem incorporentur in formam Unguenti.

Haut absimilem, nonnullis tamen omissis habet *Cornarius in præmeditationibus Medicinal.* & est seq.

℞. Adipis apri ℥. ii. ursi sine sale ℥. i. ß.

Pulver. lumbricor. terr.

santal. rubr.

lapid. Hæmatit, an. ʒ. i. ß.

Musci ex ossibus defunctor. ʒ. ß. Misceantur & incorporentur omnia simul pro linimento, quo vulneratorum arma inungantur:

 Weick-

Weickard. lib. 4. de extern. corpor. aff. p. 641. seq. depingit.

℞. Pingued. apri, Ursæ an, ℥. iv.
Cervi ℥. ii.
Castor. vetustissimi & rancid. ʒ. v. dissolvantur ad ignem, & colentur per linteum, adde
Lumbricor. lib. i. (qui tamen prius in musco fagi, aut quercus repurgati, deinde in clibano torrefacti & pulverisati)
Santali rubri odorif.
Hæmatit. an. ℥. ß.
Musci de Cr. hominis, aut, si desit, ipsius Cranii human. ʒ. i. misceantur & coq. ad Unguenti consistentiam.

In officina Magdeburgensi quondam tale sine Mumia conficebatur.

℞. Axung. apri sylvestr.
Ursi an. ℥. ii.

Dissolve simul lento igne cum Vini rubri ℥. iii. deinde fundantur in aq. frig. separa hinc, & collige axungias: postea adde
pulver. lumbricor. terr.
santal. rubr.
lapid. hæmatit. præp. an. ℥. i.
Mumiæ, Vitriol. an. ℥. ß.
M. F. l. a. Unguentum.

Tandem maxime commendatur illud, quod est apud *Croll. Basilic. Chymic. pag.* 278. ubi simul modus applicandi depingitur.

℞. Adip. Verr. aprugn.
Ursi an. ℥. iv.

utriusque animalis adeps prius in Vino rubro per dimidiam horam lento igne bulliat, postea effundatur super aquam frigidam, & cochleari colligatur pinguedo innatans, quicquid fundum petit, abjiciatur.

Postea ℞. Lumbricor. ex Vino vel aqua lotor. sextarios duos, torrefiant in olla tecta in fornace pistoris, cavendum tamen ne adurantur, postea terantur in pulverem.

℞. Hujus pulver.

Cere-

Cerebri aptugn. in Vesica propria cum Urina ejusdem aliquantulum macerati, & postea siccati.

Santal. citr. odorif.
Mumiæ comm.
Hæmatit. an. ℥ ii.

Demum accipe Usneæ è Cranio hominis violenta morte perempti. inprimis patibulo, abrasæ, Luna crescente, & in bona domo existente, Veneris, si fieri possit, non Martis aut Saturni, ad pondus unius drachmæ. Ex omnibus tritis & invicem mixtis cum adipe s. a. Unguentum fiat, in vitro clauso, vel pixide ad suos usus diligenter asservandum; paretur hoc unguentum in Autumno circa 10. & 11. Septembr.

Hoc Unguento sanantur omnia vulnera, quocunque telo, ictu, jactu, cuicunque etiam sexui inflicta, modo telum haberi possit (ne tamen Nervi arteriæ, nec unum è tribus principalioribus membris læsum sit.)

OBSERVATIONES.

1. Ungatur telum, quo homo vulneratus est, semel singulis diebus, si necessitas urgeat, & vulnus sit ingens: alioquin secundo vel tertio die inunxisse sufficiat: servetur in mundo linteolo, & loco tepido non nimis calido, nec squalido, ne damnum inferatur patienti.

2. Cavendum, ne pulvis super telum cadat, nec ventus afflet in loco frigido, alioquin patiens ad insaniam redigeretur.

3. Antequam telum ungas, considera, an punctim vulnus factum sit, quod si est, ungatur defensorium illud superius, non inferius, descendendo, alioquin nocumentum adferetur ægrotanti.

4. Si vero non possis cognoscere, quam profunde vel quomodo defensorium in carnem introiverit, poteris illud telum perungere, alioquin sufficiat locum teli, quo aliquis læsus, inunxisse.

5. Non est necesse consuere vulnus, more barbitonsorum, sed solùm linteolo mundo quotidie circumligare in patientis urina prius madefacto.

6. Quo die inungitur telum abstineat à Venere, & vulneratus, & is, qui telum inungit.

7. Ante inunctionem teli, vulnerato etiam sistatur citissime sanguis.

8. In fracturis & ruptura ossium aliquid pulveris symphiti majoris, vel Ostiocollæ poteris addere unguento, vel de radicibus Ellebori nigri.

9. Habito telo, quo quis læsus, & cupias scire utrum patiens sit moriturus, vel supervicturus, sic experiere, antequam telum inungatur: Si ille telo supra carbones calefacto in tantum, quod possis manum desuper tenere, subtilissimum pulverem è Santalo rubro & hæmatite asperseris, si sudat guttas sanguinis moritur patiens: sin minus, evadet.

10. Non habitis armis s. telo nihilominus quamlibet cutis aperturam & læsionem violentam, per quam sanguis egreditur, hoc unguento sanari posse, ita, ut lignellum de salice in apertura cruenta madefiat, & postquam sanguis adhærens siccatus est sponte per se, demum infigatur supradicto Unguento in pyxide asservato, intus relinquendo:

11. Si vulnus forte magnum & profundum esset, singulis auroris mundificari potest, & recenti linteolo ligari, sine omni alio usu extraneorum oleorum, unguentorum & similium: Tunc sanatur hoc vulnus quoquo modo inflictum per se, & sufficit lignellum semel tantum in apertura seu vulnere cruento prius madefactum, unguento pyxidis infixum manere usque an sanationem plenariam.

12. Sic etiam in dolore dentium sanando, dens dolens tamdiu scarificetur scalpello, donec sanguinem emittat: scalpellum post exsiccationem sanguinis ungatur hoc unguento, sic confestim sedatur dolor.

13. Si equus sit clavo transfixus in pede, extrahatur prius clavus, & inungatur, & cito curabitur pes equi sine suppuratione.

Hæc itaque est ratio, quî componi & in usum trahi possit medicamentum prædictum, cujus felicem curationis successum plurimi deprædicant, infinitaque sic curatorum exempla in medium adducunt; & quotidiana de his quoque testatur experientia, plurimos vulneratos solo hujus medicamenti usu restitutos esse: Infelicem tamen ejus Unguenti successum ex *Hildano* notare possumus. Is enim *Cent. 3. observ. medicin.* sic habet.

Genere & Virtute verè Nobilis matrona juvenis, & optimo corporis habitu prædita, cùm ante mensem feliciter peperisset, nescio, quonam infortunio factum, quod divina die post partum vulnus ad latus papillæ sinistræ versus sternum acceperit: Vulnus, etsi non usque adeò profundum esset, sanguis tamen copiosè effluxit: à Chirurgo restricto sanguine, non vulnus, sed cultrum, quo inflictum fuerat, curabant & tractabant quotidiè, & quidem, ut par est, diligenter: citò, & uti videbatur, satis feliciter, & ferè absque dolore curatum fuit vulnus: sed quid fit? Vix cicatrice inducta, obtuso in profundo mammæ oborto dolore, febre cum rigore, lumborum & capitis dolore, obruta fuit ægra: mox indurescit mamma maximo cum dolore, non solum mammæ, verum etiam nuchæ & scapulæ, adeoque totius istius lateris: Iterum advocatur Chirurgus, qui etsi omnem adhiberet diligentiam, symptomata tamen de die in diem magis magisque accreverunt: Tandem decima nona Aprilis, ego quoque accersitus ad ipsam perveni & mammam supra modum tumefactam, ac undique ferè induratam ostendi: Dolor maximus & pungitivus, febrisque continua aderant: Cicatrix præcedentis vulneris vix apparebat: circa papillam livida erat cutis, ita tamen mollis, ut fluctuatio puris tactu facilè deprehendi posset: quapropter suasi, ut incideretur vomica: Consensum porro cum dedisset ægra, & adstantes negotium adprobassent, scalpello incurvato

 abscessum

abscessum incidi, pus copiose & quidem cum impetu effluxit. Hinc dolor mox sedatus est, reliqua quoque symptomata paulatim remiserunt, &c.

Si quis vero de causa curationis Hopliatricæ scilicet Magneticæ hujus Unguenti velit esse sollicitus, varios hac de re, & contrarie sentientes audiet autores, quorum rationes breviter recensendo, enarrabo, & cuique liberum sine omni decisione relinquam judicium.

Sunt primo, qui Naturale quid hic subesse negant: alii vero his sese opponentes, tanquam pro aris & focis pro Unguento hoc pugnam suscipiunt.

Illi, utut concedant ingredientia esse ex rerum naturalium Catalogo, modumque ipsum compositionis omni carere suspicione, curationem tamen ipsam omni Philosophico & Physico carere fundamento dicunt; nec sine rationibus.

Nam Primo: Curatio illa non peragitur secundum Indicationes in curandis vulneribus necessarias: In naturali enim & Medica, methodicaque vulnerum curatione plures indicationes, eaque differentes occurrunt, quibus certo ordine, prout diversa vulnerum tempora requirunt, satisfaciendum: quod sane hic non fit, nam inunctione unicâ, & unico remedio indifferenter omnibus & diversis occurrere volunt.

Secundo. Nullus hic est applicandi modus naturalis: Contactus enim mutuus, unde vis Unguenti in locum affectum derivari potest, necessarius est: hic vero nullus datur, cum non læsæ parti; sed instrumento lædenti Unguentum affricetur; Immo Unguentum non animato & vivo adhuc corpori, quod medicamentum adhibitum in actum deducere possit, sed inanimato & vitæ experti, quodque nullam vim in Unguentum exercere potest, applicatur.

Tertio: Nulla hic virtualis actio aut contactus admitti potest. Verum quidem est, varias & occultas in Natura dari proprietates, unde ad-
mirandi

mirandi sæpe conspiciuntur effectus: varias & infinitas rebus naturalibus inesse facultates, unde sympathiæ & antipathiæ suam ducunt originem: In hopliatria tamen nulla virtualis actionis conspicitur ratio: Trahit Magnes ferrum vi sane occultâ, sed non ex remotiori loco; certa hic requiritur distantia: sunt plantæ plantis, animalia animalibus infensa, infesta, & infausta, at nulla à remotioribus partibus actio observatur, in immensum enim & in infinitum vis illa diffundi nequit: at facultati Unguenti Hopliatrici de telo inuncto ad vulnus peregrinanti, duodecim, viginti, immo plura præfiguntur milliaria. Quæ hic inter agens & patiens distantiæ proportio? Quod si verò mirifica illa Magnetica & Balsamica vis ad distantissima etiam efficax objicitur: quî, quæso à tantillo sanguinis, & quidem concreti, tanta vis promanare potest? quî spiritus illi balsamici multiplicem fasciarum superinductarum convolutionem transire, cistam perrumpere, ad remotum vulnus in lecto forsan & cubiculo undique concluso repositum permeare poterunt? Quod si aere existente turbido vix radii solares vires suas exerere, & ad corpora nostra extendere possunt, quî spiritus illi vectorii, à ventorum turbine facilè agitandi, ad vulnus illæsi pervenient? Quinimo nulli hic spiritus vitales, aut medicinales, ne dum ad distantissima etiam operantes, admittuntur: Cum ejusmodi in sanguine illo profuso, concreto non restitent, sed primo momento evanescant: emoritur enim illico refrigeratus sanguis, nullamque viventis facultatis opem amplius edere valet.

Quarto: Usnea pro fundamento & basi haberi nequit: Hanc quidem defensores Curationis Hopliatricæ pluribus extollunt, verum sine causa: si enim basis esset hujus medicamenti, omnium quoque compositionem ingrederetur; verum dantur descriptiones, quæ Usneâ destituuntur:

Et dum alii portionem de Usnea instar avellanæ sumunt, quid quæso auxilii ex tantilla quantitate sperandum?

Quinto: Curatio, si quæ peragitur, non medicamenti illius, sed Naturæ beneficio peragitur: videmus id in similibus vulneribus, ubi Natura, quæ morborum curatrix est, ipsam sanationem & consolidationem molitur & procurat: inprimis, si impedimenta omnia removeantur, & vulnus diligentia quadam tractetur: quod hic fit, ubi mundificatio, & quidem cum Urina propria bis de die instituitur: quis non diceret, ab ipsa Natura, scilicet balsamo naturæ interno sui sanationem promovente, consolidationem provenire? Canes sane & alia animalia, vulnera sibi inflicta, lingendo sæpissime curant: quidni & hic à Natura simile quid expectandum?

Sexto: Nulla hic ab Anima *Mundi*, quam Vectorem illius facultatis Magneticæ statuunt, provenire potest: Non-entis enim nulla est affectio, nulla qualitas, nulla actio; de cujus examinatione & exanimatione alii videantur autores.

Hisce sese opponunt alii, Hopliatriæ patrocinium strenue suscipientes.

Clarissimus Tidicæus in tractatu de Theriaca, fidem huic rei non omnino denegandam esse censet, quippe cum à tanto tempore experientia certa & affirmatio non levium, sed fide dignissimorum hominum hanc curationem confirmarint; & potius in id incumbendum dicit, an aliquid probabilitatis & verisimilitudinis ex Philosophiæ abditis & approbatione atque testimonio summorum Philosophorum huic rei conciliari possit. Fundamentum vero totius curationis dicit esse mirum & occultum illum rerum naturalium consensum; Et quemadmodum, inquit, *Magnes* & quicquid *Magneticam* naturam contraxit in pyxide nautica, in Solariis vel Horologiis perpetuo, semper & infallibiliter plagas mundi distinguit à septentrione; Ita

&

& occulto modo, licet distantissima sint corpora, curationem tamen perfici posse. Et cum inter agens & patiens requiratur quædam repassio, simile quid & hic fieri. Telum, inquit, in vulnus agit suum, caro vulnerata rursus agit in telum infundens in illud aliquid sui, etsi id adeo exiguum sit, ut gradus illius mutationis & alterationis à nobis percipi nequeat, tantum tamen est, ut jam telum cum vulnere cognationem quandam, affinitatem atque consensum contraxerit, adeoque similitudinem, quæ utut non sit idem, est quasi idem. Inde unguentum agens in totum, est, ac si ageret in vulnus, telo affinitate quasi junctum.

Hæc omnia melius explicare conatur *Gocklinius junior in Synarthrosi Magnetica*, ubi inter alia *pag.* 226. hæc habet. Virtus *Magnetica* à telo Unguento delibuto propagatur ad vulnus propter Naturæ cognationem & continuationem, quam sequitur successiva impulsio per medium aerem, spiritu stellato & primario quodam ac Magnetico vigore ac potentia imprægnatum. In Unguento est Spiritus Balsamicus (in sanguine humano, Mumia & adipe humano potissimum latitans) hic excitatur scilicet potius evocatur à spiritu consimili, sibique sympathetico, Spiritu scil. mundi stellato, ad effectum singularem producendum. Hic spiritus evocans, dirigens, disponensque corpora ac res mutuo quodam Naturæ nexu sibi devinciens, non est quivis, sed determinatus, is scilicet quo præsente & tangente fit effectus, absente non fit, decedente cessat. Hic ergo prima motus causa agnoscendus est; hic dirigit, deducitque vim sanativam in spiritu balsamico fixam ad vulnus. Sunt enim hi spiritus sympathetici, mutuoque se appetunt, & propter hunc occultum, naturalem tamen appetitum ad determinatum effectum conspirant, ut ita in totum & vere dixisse liceat. Magneticam curam vulnerum fieri per meram

virtutum transplantationem, quam efficit & perficit appetitus inter Spiritum Balsamicum & Spiritum Mundi.

Ulterius progreditur *Cl. D. Joannes Hartmannus Professor olim Marpurgi*, qui in collegio Chymico privato vindicias hujus Unguenti sequentibus aliquando exhibere voluit. Ita autem ille.

Sanari Vulnera ab Unguento, non ipsis sed vel armis, vel quod armorum vicem sustinet, affricato, nemo non vidit, aut intellexit hactenus, nemo non expertus est: quorsum igitur attinet in manifesta experientiæ luce cæcutire? quamvis adhuc dum, cur isthæc fiant, causæ veræ & adæquatæ investigando explorari non potuerint: Magnes trahit ferrum, & utrumque miro modo inter se afficitur, sed quis tam ingeniosus fuit unquam, qui istius mirabilitatis potuerit reddere causas connatas, & affectionem istam unice & κυρίως molientes? Eodem pacto de Unguento hoc statuendum est, nec statim ad Diabolicas artes, licet præter propter opinionem nostram valde efficaces, recurrendum, vel rei historia in dubium revocanda, aut prorsus pernegandа, mundificationi vulneris totum assignando, quo pacto idem, vel sine inunctione teli consolidari possit, ubi in causarum momenta minus inquirere liceat.

Sed dicant nobis ejusmodi exagitatores.

1. Quamobrem ab hac Chirurgia vulneris, parum aut omnino nihil efficiatur, si Usnea à capite suspensorum non admixta Unguento fuerit?

2. Qui fiat, quod frustra telum inungatur, nisi cruore è vulnere manante tinctum fuerit?

3. Qui fiat, quod ægro vel dolores, vel levamina ab eo, qui curat pro libitu suo & per intervalla conciliari possint?

4. Quid

4. Quid causæ subsit, quod fractura ossium non resarciatur vel saltem non æque bene, nisi vel Ostiocolla, vel radix Symphiti majoris Unguento adjungatur?

5. Cur, prout vulnus vel punctim, vel cæsim inflictum sit, telum diversimode perungi oporteat?

6. Quod denique, si vulneratus diætæ limites a Medico imperatos transgressus fuerit, totum id confestim prodatur in teli ligatura: Hæc & similia explicent illi, quicunque strenue contra hanc ipsam Chirurgiæ Martialis experientiam, calamum stringunt. Libavius hic nullam sympathiam concedit, eamque rerum naturalium solum esse contendit, atque sympathia est continuatio Naturæ, ejusque convenientia: tametsi enim dissita sint Magnetis & ferri corpora, in iis tamen ita Natura continuatur, ut etiam conveniant in unam: quidni vero inter vulnus & Unguentum ipsum continuationem quandam, ac propterea sympathiam esse, asseramus? Quid vero illa sit, in quo consistat, & quomodo fiat, & quæ sit ejus causa, hoc vero est, quod quæritur: Atqui nemo unquam tantam ingenii divinitatem sibi attribuerit, ut isthæc per omnia ad Unguem explicare potuerit: Quiescendum tamen non est, sed conandum, quousque mens nostra potest.

Esse itaque sympathiam in hac cura exploratum est, in qua primo considerandum est SUBJECTUM seu materia in qua, ipse nempe sanguis. secundo EFFICIENS, à qua, quæ est SPIRITUS MUNDI secretus Universalis omnia perlustrans. Tertio, causa INSTRUMENTALIS, sine qua non perficitur cura: Dicimus igitur Unguenti Martialis basin esse USNEAM, si spiritum animalem coagulatum scilicet corporeum: cum enim strangulantur homines, Spiritus Vitales & Naturales sursum feruntur, ibidemque, cum exitus propter solidam Cranii duritiem nullus pateat, inter suffocandum una cum animalibus includuntur, & quasi carceribus quibusdam circumscribuntur, do-

uec

nec temporis progressu in unum coalescant, & foras ad Cranii circumferentiam erumpant: Hinc accedente Mercurio seu spiritu Mundi à Neptuno per pluvias, rorem, nivem, pruinas, tanquam externa vehicula in hæc inferiora effuso, fit Usnea basis sc. hujus medicamenti, quæ in se continet omnes virtutes animales, vitales & naturales, quas eodem modo postea ipsi Unguento communicat. Quoad sanguinem: etiamsi, dum ille adhuc spirans è vulnere manat, spiritus volatiles illico in aerem evanescant, tamen spiritus sali sanguinis fixo inhærentes, quia non expelluntur, sed retinentur in ipso, cujus pars sunt, nullo prorsus modo sese subducere possunt: Est itaque in sanguine & aqua adhuc aliquid in qua tales operationes fiunt: Quamprimum ergo telum medicamento perungitur, quod fit actu calide, statim sal fixum sanguinis, in Ense s. telo attrahit Magnetica & naturali, sibique insita virtute spiritum animalem ex Unguento, qui duo spiritus, interveniente spiritu Mundi, qui per cuncta diffusus atque insertus, omnium idealium seminum & rationum vector, omnium complexu suo conciliator, atque ita activa secundum proportionem passivis applicando, omnium, quæ fiunt, proximus autor evadit, amicabili nexu & copula uniuntur. Hinc sane fit, ut quicquid vel commodi, vel incommodi spiritus ille extra venas coagulatus sentit, idem statim congeneri suo in venis residenti sympathetice communicat, idque non nisi medio Universalis illius spiritus, omnium corporum claustra reserantis, qui videlicet, huic congaudet, vel compatitur: Atque exinde fit, cur æger doleat, si telum igni admoveatur, vel aeri turbido frigidoque exponatur; quia sc. animalis spiritus, qui est extra hominem in telo prius patitur, & postea passionem suam communicat illi, qui intra corpus ægri degit per idem vehiculum, quo non tantum hæc, sed omnia alia in mundo fiunt. Quinimo, hinc quoque vice versa & id excutitur,

cutitur, quamobrem, si æger, vel cœpas, vel allium, &c. comederit, Veneremque exercuerit, id statim in telo observetur: quia nempe animalis spiritus in homine primum patitur, ac postea spiritum sibi Homogeneum in telo passionis suæ participem reddit. Hæc igitur est hujus actionis causa: atque exinde reliquæ illæ paulo ante enumeratæ quæstiones solvuntur & explicantur.

Tantum de hoc.

CAP. VI.

DE OSSIBUS IN GENERE, UT ET DE DENTIBUS IN SPECIE.

OSSA, ut loquitur *Galenus*, sunt animantis partes durissimæ, siccissimæ, maximeque terrestres, & quasi bases totius Microcosmi. Hæc Natura nobis concessit, ut toti corpori stabilimen, rectitudinem, figuram conciliaret. Sunt enim ossa propugnacula adversus omnes impetus, roburque corpori sustinendo præstant; non aliter, quam bases & columnæ ædibus subjectæ. His, si homo careret, more serpentum, vermiculorumque reperet: ab his corporis proceritas & incrementi meta dependet: quibus enim Caput magnum, his Cerebrum amplissimum: quibus Thorax angustus, his Pulmo & viscera contractiora. Plura de his in Anatomicis.

Utimur autem ossibus exsiccatis, ad Erigendum sceleton, cujus præparationem justam & legitimam *Columbus*, *Riolan.* & aliij distinxerunt. Utilis autem est ejus inspectio non tantum Medicinæ studiosis, verum & omnibus & singulis mortalibus, cùm ad bene beateque vivendum nos excitare & quasi Virtutis speculum & incitamentum esse possint: hoc est hodie multorum piorum hominum spectaculum.

culum iri quod noctu & interdiu defixos habent oculos: Nec alio fine Veteres Ægyptii in Conviviis publicis Sceleton hominis ostendebant, quam ut assidua mortis cogitatione à vitiis revocarentur: In cœnatione Cæsaris Domitiani, quod propter exiguitatem ipse vocabat Micam auream, è tholo pendebat Cranium, quod mortis admoneret, ut est apud *Martial. lib.* 2.

Mica vocor. quæ sim cernis cœnatio parva,
Ex me Cæsareum suspicis, ecce, tholum
Frange thoros, pete vina, rosas cape, tingere nardo:
Ipse jubet mortis te meminisse Deus.

Deinde & ossium exsiccatorum usus est in Medicina singularis: Quî Cranium & os Triquetrum præparari & usurpari possint, supernis dictum: reliquis vero utimur vel Crudis vel præparatis.

Ossa enim insignes edunt effectus in exsiccandis, absumendis & extirpandis vitiosis in corpore humoribus pituitosis. Salina enim, ut sunt corpora, ita etiam Salinam exsiccandi & absumendi obtinent facultatem.

CRUDA adhibentur ad purgandos vitiosos humores: Sic enim *Petræus in Nosolog. Tract.* 1. *pag.* 151. notat, quosdam pulverem Ossium humanorum purgantibus miscere, sicque egregie conferre in Paralysi ad purgandum.

Croll. Basil. Chym. pag. 243. tale antipodagricum exinde componit.

℞. Hermodactyl.
Turbith. opt.
Diagrid.
Fol. sen. sel.
OSSIUM HUMANOR.
Sach. an. ʒ. i. Misce, fiat
Pulvis Dosis. ʒ. ß. mane ex aq. Chamæpyt. Ivæ arthet. fragor. per dies tres vel quatuor continuo.

Rodericus à Fonseca fere simile quid habet ex *Paracelso lib.* 1. *Consult. medic. p.* 70.

℞.

℞. Rasur. OSSIS corporis human.
Scammon. Hermodactyl.
Turbith. an. partes æquales: De quo medicamento exhibet ʒ. ß. mane & vesperi, & dicit, quod hoc medicamentum est mirabile propter proprietatem ossium corporis humani: potestque idipsum corrigi per ea, quæ deleteriam vim illius confringunt, addendo pulverem Cinamom. anis. fœnicul. adhæc præcipit, non esse temere dandum bis in die, in ea dosi, quia vires non ferent tam validi Pharmaci quotidie binam exhibitionem, satis esse dicit, si semel in die, & alternis diebus exhibeatur ʒ. ß. per aliquot dies, & in robustis: proque scammonio posset substitui Diagridium. *Poppius Thesaur. Medic. lib. 7. pag. 647.* Compositum ex pluribus habet modo sequenti.

℞. Scammon. Hermodactyl. an. ʒ. ii.
Fol. Senæ ℥. i.
Turbith ʒ. i.
Fol. Hellebor. nigr. ℥. ß.
Salis Corallor. rub. ʒ. i.
Mercurii Microcosm. ʒ. ii.
OSSIUM hominis ℥. ß.
Sachari Tabartet. ℥. ii. ß.

Fiat pulvis subtilissimus. Dosis scr. ii. usque ad ʒ. i. exhibetur ad evacuandos serosos in Podagra humores: si vero sensim eosdem evacuare satagis, scrup. unum ejusdem pulveris quotidie exhibe, & continua; resolvit enim materiam Tartari coagulatam instar aquæ, eandemque educit, ne in loco aliquo subsistat.

Poppius. Thes. medic. pag. 688. in vagis arthriticis doloribus partem ossis hominis violentâ morte perempti exhibet cum aq. appropriata; illico exinde dolorem sedari scribit; Quod si quondam etiam absentem purgare placet; habeas tantum ejus excrementi partem & in Os brachii vel pedis imponito; foramen cerâ occludito, inque calidam immittito, & mira videbis.

Wecker.

Wecker. de secret. pag. 128. tradit, quod Os hominis demortui, qui nunquam febres passus sit, suspensum supra patientem, liberet à Quartana.

PRÆPARANTUR OSSA vel Calcinatione, vel Destillatione; & simili modo in præparatione illorum progredi poteris, quo in præparatione Cranii dictum est, tam vulgari, quam alio calcinandi modo.

Veteres jam ossibus humanis ustis usi sunt: quod ex *Ætio tetrab.* 1. *sermon.* 2. *cap.* 161. constat, qui sic ait: Ossa omnia usta discussoriam & siccatoriam vim habent: quidam tamen id de OSSIBUS HUMANIS maxime prædicant. Et novi sane ego quendam nostrorum hominum, qui Ossa usta potanda dabat, ignorantibus potantibus quid potarent, ne abominarentur: atque sic multis & morbum Comitialem & articularem curabat.

Confirmatur idipsum autoritate *Galen. qui lib.* II. *de aliment. facult. pag.* 164. plurimos scribit arthriticos usu cineris OSSIUM. HUMAN. fuisse restitutos.

Hinc & *Crato Medicus Cæsareus*, ut videre est in *Consil. Scholtzian. cons.* 8. sequentem mirifice deprædicat in Catarrho sistendo pulverem ex OSSIBUS HUM. in fornace ad albedinem calcinatis, ac postea in pollinem contusis, & in Porphyrio lapide cum tantilla aqua rosarum confricatis, addito exiguo Cinam: ut,

℞. Pulver. OSSIUM HUMAN. combust. ℥. i.
Cinam. elect. ʒ. i.
Sachar. abibis. q. s. M. Dosis ʒ. i. ante somnum in vino albo, aut mane in jusculo calido.

Ex hoc præscripto *Donzeblin. Consil.* 52. sequent; parat.

℞. Pulv. OSSIUM. HUMAN. combustor. ℥. i.
Corall, rubror.
Rasur. eboris an ʒ. i.

Cam-

Camphor. ℈. scr. i. Misce
F. Pulvis.
Dosis ʒ. i. in Vino.

Paracelsus in Manual. p. 58. sequentem ex OS. HUM. componit antipodagricum pulverem.

℞. OSSIUM HUMAN. calcinat. lib. i.
Lent. fabar. cicer. an quartar. i.
Fol. senæ lib. i.
Sachar. q. s. F. pulvis & addantur
Turbith. ℥. v.
Hermodactyl. ℥. iii.
Scammon. ℥. ii. *Misce.*

Dysenterico medicamento; *Crollius pag.* 251. Ossa quoque humana admiscet.

℞. Succin. Sanguin. Dracon.
Hæmatit. Corall. rubr.
Sem. plantag. portulac. anthor.
Rad. Tormentill. terr. sigill. strigens. an. ℥. ii.
Balaustior. ℥. i.
Nucis moschat. N. iv.
OSSIUM HUMAN. calcinat.
Croci Mart. Talci calcin.
Matris perlar. calcin. an. ℥. i.
Cinamam ℥. ß.

Lapides in porphyrio in tenuissimum pollinem conterantur, postea ex omnibus reliquis tenuissime tritis & invicem mixtis F. pulvis.

In omnibus dolorificis alvi profluviis, cujuscunque originis & diuturnitatis: Dysenteria, Lienteria, Hæmorrhagia narium: In muliebribus sanguinis profluviis quantumvis magnis & efficacibus etiam in prægnantibus. Sedantur enim illico in quibusdam, in aliis repetenda eadem dosis horis aliquot post, longe à pastu, aut die sequenti in aurora, rarissime tertio reperitur, fœminis eo malo, quantumvis gravi, liberatis.

Dosis à ʒ. i. ad ʒ. i ß. etiam ad ʒ. ii. cum ℥. iii. vel iv. liquoris stillatici plantag.

Alii.

Alii instar pisi de ossibus human. calcinat. mulierculis, nimios fluxus patientibus, ut & Dysentericis exhibent.

In *Lienteria Popp. lib. 2. Thes. Med. pag. 392.* sequens habet.

℞. OSSIUM HUM. calcinat.
C. C. calcinat. an. ℥. ß. pulverisa, & cum aq. menthæ exhibe.

In *Cancro*, scilicet ejusdem mortificatione quidam Ossium hum. præparatorum pulverem accipiunt, & cum rad. Pentaphyll. & fuligine miscent, Cancroque imponunt.

Mizald. Cent. exper. 12. citat ex Gebero, quod contra Arthritidem et quodvis ulcus depascens summe prosit HUMANI Brachii vel Tibiæ Os combustum, facto ex eo pulvere, & quod album intus mansit, parti affectæ opposito.

Hadrianus Munsicht, Pulverem Diamartis cum iisdem componit, cujus descriptio extat in *Thesauro Medico Chymic. pag. 27.* & sic legitur.

℞. *Magister.* Croci *Mart.*
Croci Hæmatit.
Corall. rubr. an. ℥. iii.
Ciner. spongiæ,
Terræ sigillat.
Boli rub. Orient. præpar.
Acaciæ an. ℥. i. ß.
Sem. plantag.
anthet. an. scr. iv.
Animæ Vitriol.
C. C. Spagyrice calcin. & præpar.
Alumin. plumos. calcin.
OSSIS *MICROCOSM.*
Herm. calcinati an. ℥. i.
Rad. quinquefol.
Zedoar. Gal. aromat.
Succin. alb. præpar.
Cariophyll. an ℥. ii.
Tormentill. Gallor. Turc.
Nuc. mosch. an. ℥. v.

Misce

Misce & F. Pulvis.

Vires, usus, Dosis.

Stomachi mollitiem corrigunt, & dysentericis, cœliacis, purulenta & sanguinolenta exscreantibus mirabiliter auxiliantur. Gonorrhææ, hæmorrhoidibus, Urinæ incontinentiæ, lotioque cruento medentur: fœminarum menstruam purgationem perfectissime morantur & inhibent: Hæmorrhagiam variam & sanguinem denique undecunque emanantem sistunt & supprimunt.

Dosis à scr. i. ad ʒ. ß. in convenienti liquore.

DESTILLANDO ex OSSIBUS HUMANIS OLEUM parari potest, simili quoque modo, quo in cap. de Cranio dictum est:

In libro cui titulus. Vereinigung der Galenischen und Paracelsischen Artzneikunst. *pag.* 178. depingitur tale.

℞. OSSA HUMANA è brachio vel femore exsiccato, non tamen verminculoso, ea crassiusculè contunde, & inde in vas vitreum circumpone carbones ardentes, ut ossa ignescant: Hinc illa sic ignita impone in ollam vitream aut cupream, oleo olivarum ad dimidium repletam: postea exime ossa, partemque illorum pulverisatam destilla, ut Oleum Philosophorum, & rectificetur.

Præstantissimum hoc est ad sedandum dolores Podagricos, & confortanda membra post morbum Chronicum debiliora.

Præscribit idipsum *Crato in Consil. Scholtzian pag.* 610. in tumoribus & arthriticis doloribus.

Crollius eo utitur in confectione *Balsami antipodagrici*, descripti *pag.* 245.

℞. OLEI ex OSSIBUS HOMIN. siccis, Soli & Lunæ multis annis expositis ℥ i.

Olei Philosophor. Terebinth.

Juniper. an. ʒ. iii. Misce & destilla omnia adhuc semel in B. & postea ungatur locus affectus: è vestigio tollit omnes dolores Podagricos.

cos è frigida causa ortos: si à calida, in destillato Oleo solve Camph. ℥. i. Misce.

Weickardus in Thesaur. Pharmacent. p. 501. efficax auxilium antipodagricum cum oleo prædicto delineat, & est sequens.

℞. Sem. fœnugr. psyll. an. ℥. ß.
Locustarum tiliæ i. e. propaginum recentium tiliæ incisarum, infundantur in aq. solan. & aceto; extrahatur mucilago: In qua dissolve.

Boli armenæ
OLEI ex OSSIBUS HUM. ℨ. i. F. Catapl.

QUINTA ESSENTIAM ex OSSIBUS HUMANIS exhibet nobis Faber in *Myrothecio spagyr.* l. 1. c. 10. sequentibus.

Sumantur OSSA HUMANA, quæ per annum saltem terræ abscondita non erunt, abstergantur à pulvere, & Vino perquam optimo madefiant in frustula concisa per Octo dies. Deinde destilletur ex his Oleum per descensum, quod septima destillatione per Retortam erit rectificandum, ut penetrandi summam acquirat potentiam: fæces seu Caput mortuum, quod remansit in prima destillatione, fortissimo combures igne, & ex calce illius elicies salem cum aqua Ebuli: Purificatus hic sal nitidus & purus, conjungendus est cum Oleo suo & incorporandus, quod facillime fiet, modo sal nitidus sit, & oleum summopere depuratum. Hæc autem conjunctio, si fieri potest, ad majorem efficaciam facienda est, dum Sol arietem ingreditur, quod fit 21. die Martii, uniuscujusque anni, similisque conjunctio observanda erit in sale Cranii Hum. cum sp. Vitrioli dulci: Tunc enim temporis, partes omnes solidæ corporis humani succulentiores sunt, & plus humidi habent radicalis, &c.

VIRES

VIRES & USUS.

Non datur in rerum natura potentius medicamentum, ne dicam Balsamum prædicto, ad curandos & sedandos quoscunque dolores arthriticos. Cariem etiam citissime tollit, & omne ossium vitium corrigit: Applicatur autem tepide Balsami more cum gossipio partibus affectis, ad curandam autem arthritidem purgandum erit corpus ter aut quater pillulis ex Mercurio spagyrice præparato, cum quibusdam granis Extracti hellebor: & tunc temporis mirandos videbis effectus.

Tandem notare hic possumus, quod habet *Riolan, lib. 7. anthropograph. pag. 668.* Elixatorum scilicet ossium spumam supernatantem certo experimento faciei maculas delere & abstergere.

Huc referuntur & insinuantur DENTES, qui sunt ossa durissima, intus aliquantulum cava, alveo maxillarum instar clavi affixa, & cibis crassioribus comminuendis inprimis dicata: Suntque triplices. Primores s. incisores s. γελάσινοι, quod inter ridendum primi nudentur: Canini s. Oculares, non, ut vulgus somniant, quod Oculorum ambitum fere attingant, sed quia in eos defertur portio nervi Oculos moventis, unde & eorum extractio periculosa putatur. Et *Molares* Ger. die Backʼ zähnen.

Communiter sunt viginti octo: aliquando triginta, aliquando plures. Duo postremi dentes sapientiæ dicuntur, quia tum primum erumpunt, quando homines sapere incipiunt circa annum vigesimum octavum, vel tardius: aliquando in summa senecta. Latini Geminos vocant.

Major numerus dentium secundum Hippocrat. & Galenum longævitatem; minor vero brevitatem innuere videtur; paucitas enim & raritas eorundem mala, ut signum, & ut causa. Ut signum. Nam denotat materiæ inopiam

&

& formatricis imbecillitatem adfuisse: Ut causa, quia pauciores dentes cibos non recte præparant, unde vitiatur concoctio prima, & ob hanc secunda: Notandum tamen brevitatem vitæ sic denotari, ut plurimum, & magna ex parte, non semper, ut recte disputat *Scaliger exercitat.* 271. contra Cardanum. Augustus enim, qui annos 76. vixit, dentes raros, paucos & scabros habuisse dicitur.

Indicationes quasdam & judicia Physiognomica ex dentibus petita inter alios & *Moldenarius* habet *in Exercitat*, *pag.* 57.

Dentes, inquit, firmi, spissi, canini, sanitatis bonam constitutionem arguunt.

2. Marcidi, vacillantes, mobiles, rancidi, brevitatem vitæ, abundantiam Cacochymiæ, cholericumque notant.

3. Rari, temperamentum imbecille & languidum, sanitatemque minus prosperam significant.

4. Dislocatio dentium, quâ unus vel plures extra ordinem prominent, vel extra seriem consistunt, loquutuleium, instabilem, pomposum, insolentemque arguere videntur.

5. Continuitas eorundem, quâ integra dentium series unico osse continuo constat, eoque integro, orbiculari, & secundum proportionem maxillarum solido, hominem audacem, fortem, militarem, bellicosum & magnanimum notat heroëm: Taliter dentatum fuisse *Xerxem*, *Darium* Persarum, *Tygranem* Armeniorum Regem historiæ commemorant.

USUM dentis hominis demortui autores quoque habent.

Petrus Hispan. in Thesaur pauper. cap. 85. *p. m.* 112. contra maleficia & veneficia prodesse scribit, si fiat suffumigium cum dente hominis mortui trito, quo suffumigio & ligatos indubitanter solvi dicit, *Weckerus lib.* 4. *de secret. pag.* 108. *& pag.* 175. sequens tradit.

Si DENTES pueri, inprimis cum cadunt, suspendantur, antequam ad terram deveniant, & ponantur in lamina argenti, & suspendantur super

mulieres,

mulieres, eas prohibent impregnari & parere.

Weickardus lib. cap. pag. 585. Si DENTI ipsiusve radici admoveatur DENS calvariæ, ut sponte elabatur, conferre posse putant. Idem fere docet Chymiatria *Hartmanni*: si DENS ex maxilla mortui evulsus cum radice sua dentem corrosum sæpius tangat, tandem post aliquot dies frustulatim cadere dentem facit.

CAP. VII. ET ULTIMUM.

DE MUMIA.

CARO Anatomicis quadruplex censetur. 1. est caro viscerum, quæ alias Parenchyma dicitur, ut Cordis, Epatis. &c. 2. Est ea, quæ cuilibet parti est peculiaris, qualis reperitur in Oesophago, Ventriculo, Intestinis, Utero, Vesica, &c. 3. Est caro glandularum, quæ vasorum divisionibus firmandis apponitur, ut circa venam portam, &c. 4. *Maxime* proprie vocatur caro, musculi interior pars mollis & rubicunda ex sanguine mediocriter resiccato genita, quam *Galenus* Carnem fibrosam vocare solitus est.

Utut vero nonnulli primum Carnis genus propter singularem viscerum affinitatem & consensum in *Medicum* forum & usum trahere haut erubescant: merito tamen ab iisdem abstinemus, pluribus de causis, inprimis vero quod viscera facile alterationem & pravam dispositionem contrahant: adhæc ab animalibus petita brutis, similem spondeant effectum: rejicimus simul alterum, ut & tertium Carnis genus; De quarto autem genere, nobis jam sermo erit: Qui nempe *Musculosâ* carne uti possimus.

Execramur vero hic primo limine execrandum illum *Lamiarum* abusum: quæ, ut notant autores, Infantium

fantium carnes miris modis ad devorandum expetunt. Sic enim de his Anthropophagis *Kornamnus in templo Naturæ historico part. 1. cap. 1.* habet

Apud Niderium hæc unius de *Lamiarum* initiatione scripta extat confessio. Infantibus nondum baptizatis insidiamur, vel etiam baptizatis, præsertim si signo Crucis non muniuntur & Orationibus, hos in cunabulis, vel ad latera jacentes parentum cæremoniis nostris occidimus, quos postquam oppressos putant, vel aliunde mortuos, de tumulis clam furto recipimus, in calidario recoquimus, quousque avulsis ossibus tota fere caro efficiatur sorbilis & potabilis. De solidiore hujus materia unguentum facimus, nostris voluntatibus & artibus, transmutationibusque accommodatum. De liquidiore vero humore utrem replemus, de quo is qui potaverit, additis paucis Cæremoniis statim conscius efficitur, & magister nostræ sectæ, postea addit; quod Striges carnibus Infantium à se primo occisorum, & postmodum exhumatorum delicatissimis vesci consueverunt, &c. vide *Barthold. Spinæum de Strigibus cap. 33. David Medorum in quarta concione de Lamiis.*

De aliis Anthropophagis s. consuetudine, s. necessitate ad id compulsis, sive etiam morbo quodam ad Carnium humanarum esum redactis, historica nonnulla inserere placet.

Consuetudine quidem apud Indos introductum, ut humana carne plurimi vescerentur, ut Indiarum historiæ satis testantur: Huc referri potest, quod *Caspar. Burgatus lib. 6. historiar.* suarum habet.

Mediolani scilicet artificem mulierem quandam, rotæ atque Ignis tormento peremptam, ita à justitiæ judicibus damnatam, quod blanditiis pueros alliciens, inque domum introducens, enecaret & sale condiret, indiesque comederet; cujus ferina, bestialisque immanitas ita detecta fuit. Cum enim parentes filiam amissam diligenter perquirerent, forte felis puellæ manum subreptam in vicinorum domum asportavit, quo spectaculo commoti, catum

venari

venari cœpere, qui ad domum *Elisabeth* confugiens, qui illum insequebantur eo traxit, hique introgressi adhuc Catharinæ corpus intersectum invenere, &c.

Consimilem historiam tradit *Hector Boetius histor. Scotorum. lib.* 18. ubi hæc legimus. Mos erat cuidam latroni, homini truculento, adolescentes, quos aut furto sustulerat, aut absque arbitris jugularat, domum adactos esitare: & quibus tenerior erat ætas, meliorque corporis habitudo, majoribus habere in deliciis, ob quod detestandum scelus cum conjuge omnique familia, unica sexus fœminei prole, vix dum annum unum nata, duntaxat excepta; vivus flammis traditus est atque consumptus: parvula hæc Diodoni educata priusquam duodecimum superaverat annum in paterno scelere deprehensa, ut viva terra defoderetur sententiam accepit: Cumque duceretur ad supplicium, & ingens mortalium vis mulierum præsertim effusa, quod tam immane facinus ausa fuisset, eam execraretur, conversa ad sequentes vultu crudelitatem præ se ferente, quid, inquit, me objurgatis, veluti scelus homine indignum admisissem? mihi credite, ubi experti essetis, quam palatum delectet humana caro, qui à liberorum esu abstineret, inveniretur nemo: ita perpetrati criminis impœnitens destinatum supplicium contumaci animo obivit.

Fame plurimos ad esum carnis humanæ coactos, historiæ testantur: Nota est historia illa, quam notat *Josephus lib. 6. de bello Judaico cap.* 21. ubi in obsidione Hierosolymitana à Tito facta, nobilis quædam mulier Maria, fame percita, infantulum, quem genuerat, jugulavit, in frusta secavit, atque igni appositum & excoctum esitavit.

Procopius lib. 2, *Belli Gothoi.* meminit, eam tempore obsidionis Ursbevetani à Bellisario tentatæ, fuisse annonæ caritatem, ut non defuerint, qui, fame cogente, alternos se esitarent, & fœminas binas

fuisse, quæ divertentibus ad se peregrinis, noctuq; dormitantibus, interfectis vescebantur, septemque ac decem diversis temporum spatiis in cibum assumptis; decimus octavus, qui ad has forte diverterat, somno subito exporrectus, cum illas ipsi necem moliri cognovisset, utrasque obtruncavit.

Martinus Cromerus lib. 11. de rebus Polonorum tradidit Ann. 1315. ac deinde anno interjecto uno, iterum duobus annis, famem tam acerbe *Poloniam* omnem afflixisse, ut nullo, quamvis fœdo edulii genere, ac ne cadaveribus quidem humanis vulgo abstineretur: ac, si D. Luglasso credendum est, ut parentes in liberos, & hi vicissim in illos sævirent: Videantur similes historiæ apud *Appianum Alexandr. lib. de bell. Mithridat.* Historiæ Livoniæ simile quid testantur: nec sane Anno 1629. in tractu Insterburgensi Electoralis Prussiæ homines annonæ caritate compulsi, à carnium humanarum esu abstinuerunt.

*M*orbo tandem eo interdum rediguntur homines, vel Pica, vel vesania laborantes: Eo refert *Donatus Marcellus* lib. 4. de medic. histor. mirab. historiam à Casparo Bugato notatam: nec non huc pertinet id, quod habet *Smirnæus de Leuthare Barbarorum* duce, qui eo amentiæ devenit, ut propria membra dentibus carne lacerata, voraret, defluentemque lingeret cruorem: & notant Historici, quendam Nobilem à Cane rabido ante menses aliquot vulneratum novam suam nuptam prima nocte dentibus suis dilacerasse, & instar rabidi Canis eam dilaniasse, veneno tum demum vires suas exserente.

Verior & sanctior, ut nonnulli volunt, est usus medicinalis Carnis humanæ, nam non tantum à Veteribus, sed etiam Neotericis adversus plurimos affectus, inprimis vero insignes contusiones caro humana usurpata fuit. Hanc ipsam carnem s. exsiccatam s. peculiari modo paratam MUMIAM dixerunt.

Plurimi tamen quid *MUMIA* sit, dubitarunt & adhuc

adhuc dubitant: *Paracelsus* varias & distinctas res, attamen ex homine depromptas MUMIÆ nomine insignire voluit: Sanguinem enim humanum vocat MUMIAM liquidam; ut & sulphur microcosmi. Et in Chirurgia Essentiam Tartari, *Mumiam* dixit; alibi duplicem facit, corporalem & spiritualem. Illam appellat *Mumiam* aeris, quæ è facinorosorum corporibus patibulo adhærentibus, depromitur, quæque à superioribus Luminaribus illuminatur, continuoque cœlestium spirituum appulsu roboratur, unde postea nomen & exaltationem constellatæ *Mumiæ* mereatur: Spiritualem illam dicit, cujus beneficio Transplantatio proprie & proxime perficitur, & *Tract.* 3. *de Temp.* p. 13. definit illam sequent. MUMIA proprie sic dicta est substantia corporis tenuissima, spiritualis, ætherea, cuiq; pro natura ac specie sua ingenita, in morte & post mortem aliquatenus permanens cùm affectionum, tùm virtutum ejusdem intimarum & propriissimarum plurimum abundans, indeque cum suimet, tum proprietatum ejus, rite extructæ Transplantationis constellatæ medio mire prodiga & fœcunda, ad eum finem, ut vel in suo, vel in alieno subjecto Natura seu dispositio vitiosa morbidave corrigatur, integra & sana conservetur & roboretur. De hac vide præcitatum tractatum, quem nuper Typis divulgavit *Andreas Tentzelius Arch. Schwartzburgensis*, *Avicenna* sæpius *Mumiam* commendat, illam tamen non Cadaverosam esse, sed Pissaphaltum pluribus probat *Libav. part.* 3. *singul. l.* 7. alii, misturam quandam ex aloë, myrrha & aliis *Mumiam* dixerunt; quadruplicemque constituerunt Mumiam.

Primò Arabum, quæ compositio quædam est ex Alöe, *Myrrha*, Croco & Balsamo, qua cadavera condiebant, deinde aliquanto post tempore ex sepulchris eximebant cum sanie, quæ ex cadavere exudaverat, servabantq; in usum *Medicum*. Quod pluribus depingit *Bellonius* lib. 2. observ. cap. 47. Ægyptii enim mortuorum resurrectionem speran-

tes, corpora humana ab Elementis aere, terra, vel igne absumi, flagitium esse censebant. Hinc *Zoroastes* Philosophus corpora eorum cremari vetuit, neque humari, sed condiri, ut à vermibus & omni corruptela præservarentur, & ad æternitatem incorrupta manerent: Condiendorum vero corporum apud eosdem modus erat varius, ut enim quis majores sumptus impendebat, ita & accuratius condiebatur, atque ei splendidior sepultura curabatur: Nemo tamen moriebatur, cujus funus quocunque tandem modo non condiretur: multos autem post annos, cum milites per bella omnia devastarent, sepulchraque funditus everterent, in quorundam feretris liquorem quendam mellaginis instar spissum, odoratum, nec insuavem invenerunt: Hunc Ægyptii Medici ac Philosophi, probabilissima ratione fulti, eximiis pollere virtutibus arbitrati sunt, & sic ad quorundam affectuum curationem valere crediderunt, ægrotisque exhibuerunt. Et cum in curatione eos non falleret eventus, experientia hac facti audaciores hanc condituram in aliorum præsertim magnatum sepulchris quæsiverunt: quibus inventis, & exhaustis, sic enim sæviebant & in mortuos, tandem ad virorum infimæ sortis tumulos manus injicerunt: in quibus, licet, ut nonnulli volunt, multo deterius liquamen, cadaverosam nempe saniem, invenirent, eam ipsam tamen assumere, Mumiamque dicere volebant, ægrotisque dabant: postmodum ita invaluit ejus usus, ut multorum corpora s. peste, lue Indica s. elephantiasi mortuorum sale & alumine conspersa fuerint, è quibus post aliquot menses sanies putris decidens pro Mumia habita, empta sit.

Secundò Mumiam quandam ad nos ex Ægypto deferri dicunt, quæ non est ex aloe & myrrha condimentum corporum, sed ex Asphalto: nam plebeios adversus corruptionem corpora consuevisse munire Strabo autor est.

Tertiò

Tertiò Pissasphaltum factitium nonnulli pro Mumia venditant.

Quartò: Mumia habetur illa caro cum ossibus humanis teterrida, quæ nec condituram, nec aliud liquamen experta est, & Alexandriâ ad nos defertur. In Hammoniorum enim regione, quæ est inter Cyrenarum regionem & Alexandriam, Viatores incauti arenarum syrtibus ventorum turbine sublatis obruuntur, qui arenarum quasi collibus & montibus obvoluti & sepulti, indeque admodum cito flagrante Solis æstu torrentur & exarescunt.

De his vulgaris Mumiæ speciebus quodnam sic *Paræi* Chirurgi & Medici celeberrimi judicium audiamus: sic enim ille *lib.* 10. *Chirurg. cap.* 7. Mirum forte videri poterit, quid causæ sit, cur ego in hoc de contusionibus tractandis tractatu Mumiæ, vel in potum, vel in bolum lapsis ex alto, aut alioqui contusis, exhibendæ non meminerim, cum tamen vulgare id sit; imo primum & ultimum, omnium fere, qui hodie medicinam faciunt, Medicorum in tali casu remedium: At, cum intelligerem, & à Magistris Medicis didicissem in usurpandis remediis indicationem semper ab eo, quod morbo contrarium est, sumendam esse, qui potuissem ego, qui potuisset alius quisquam jure in in hac morbi specie Mumiam exhibere, cum quid Mumia sit, quæ ejus Natura, aut essentia sit, nondum constare potuerit, adeo, ut ipsi, insitne proprietas quædam contusionum naturæ & effectis contraria, certo judicari nequeat? Id, quomodo habeat, placet nunc paulo fusius exponere, nec qui Mumiam præscribunt Medici, nec qui ipsam scriptis celebrarunt authores, nec quiipsam prostituunt Pharmacopolæ certi quidquam habeant, quod de ipsa statuant.

Nam si Veteres *Serapionem & Avicennam*: si recentiores, *Belonium, Matthiolum & Thevetum* legeris, dissentientes plane opiniones, comperueris: interroga mercatores, qui eam advehunt: interroga

roga Pharmacopolas, qui eam à mercatoribus emptam nobis exhibent, plane diversos, de Mumia diversa, loqui audies; ut in tanta opinionum varietate nihil occurrat, quod certum sit, & exploratum: *Serapio* quidem & *Avicenna*, non aliam esse *M*umiam putarunt à Pissaphalto, &c. *Bellonius*, *M*umiam ait Ægypto tantum & Græciæ notam esse: alii carnem esse humanam scribunt, detractam cadaveribus mortuorum & obrutorum sub desertæ Arabiæ arenis, quâ in regione ventorum vi & turbinibus arenæ tantâ mole sursum abripi dicuntur, ut viatores forte obvios obruant, & suffocent, has carnes arenâ & vento siccatas *M*umiam esse.

Matthiolus tritam & vulgarem magis opinionem secutus, scribit, *M*umiam, nihil aliud esse, quam cadaverum aromatibus conditorum fluentem liquorem, qui resiccatus concreverit. Quod, ut intelligatur, sciendum, olim ab omni antiquitatis memoria, Ægyptios sepeliendorum Cadaverum humanorum fuisse studiosissimos: non eo consilio, ut viventibus in remedium postea venirent: tantum enim, & tam horrendum nefas, ne suspicati quidem sunt; sed, vel, quod animos resurrectionis Universalis opinione delibutos haberent, vel, ut in his, tanquam monumentis haberent aliquid, quo defunctos amicos pia ac sempiterna colerent memoria. Non valde ab hac opinione abhorrens *Thevetus*, scribit, veram *M*umiam detrahi ex monumentis & lapideis urnis, s. capsis defunctorum in Ægypto, quarum rimæ tanta diligentia essent obseratæ & lutatæ; inclusa vero corpora tanta arte nobilibus ad æternitatem aromatibus condita, ut, quæ ipsis statim mortuis obvolutæ essent linteæ stolæ, eæ integræ adhuc hodie visantur; ipsa autem corpora adeo florida, ut vix tridui esse cadavera judicentur. Et tamen in illis avernis & specubus subterraneis, è quibus illæ reconditæ eruuntur urnæ, nonnulla occurrere duorum millium annorum cadavera. Hæc vel

horum

horum dissecta corpora Venetias ex Syria & Ægypto deportantur, & inde in universum Christianum orbem differuntur. Cæterum pro varia hominum conditione, varia est aromatum, quibus farciuntur, conditura. Nobilium enim cadavera Myrrha, Aloë, Croco, & aliis pretiosis aromatibus condiuntur: at plebeiorum hominum, quorum tenuitas & rei familiaris angustia tantos sumptus ferre nequit, ex Asphalto aut pissasphalto. Hujus ultimæ speciei & conditionis universam esse Mumiam, quæ in nostras has regiones importatur *Matthiolus* ait. Nunquam enim passuros Provinciæ Magnates, & principes viros, supulturæ religiosis sacris tanta pietate addictos, amicorum & cognatorum suorum cadavera huc, ad turpem quæstum & horrendum ministerium advehi. Quæ res quosdam ex nostris pharmacopolis movit, homines insigniter audaces, & lucri avidos, ut suspensorum cadavera de nocte raperent, & sale atque aromatibus condita, furno exsiccarent, ut hoc mangonio interpolata pro vera Mumia venderent: Sic igitur & stulte & crudeliter cogimur vel vilissimæ Ægyptiorum plebeculæ, vel suspensorum dissectas & putrescentes cadaverum portiones, devorare, quasi lapsi ab alto hominis, ac contusi ab Orco eripiendi ars non esset alia, quam si hominem horrenda plane insitione in sua, id est, humana viscera, conderes. Et tamen, si illi Pharmaco vis quædam inesset ad id, quod expetunt, esset fortasse, quod aliquam excusationem illi suæ prætexere possent, plusquam barbaræ inhumanitati. At sic se res habet, ut pessimum hoc Pharmaci genus, non modo nihil ægris in eo, cui comparatum est, casu, præsidii aut adjumenti adferat, quemadmodum centies expertus sum, & quemadmodum *Thevetus* expertum se in seipso testatur; cum in Ægypto, unde advehitur, ejus aliquantulum Medici cujusdam Judæi consilio sumpsisset: sed multa præterea molesta symtomata

N 4 inferat,

inferat, ut, Cardialgiam, Ventriculi tumultum, conturbationem, Vomitum, Oris fœtorem: quibus ego rationibus persuasus non modo ejus Pharmaci nihil ægris præscribere soleo, sed etiam in conciliis, ne præscribatur, magnopere contendo.

Hactenus *Paræus*, non tantum Mumiam cadaverosam, sed & Avicennam rejiciens, quam dextre vero videatur *Libav. citat. lib. cap.* 20.

Thomas Moufetus Anglus ex sententia Paracelsi in Epistola quadam, quæ inter Epistolas Scholtzianas 279. & 280. est: in contraria plane est sententia, Mumiamque Cadaverosam miris extollit.

Rationes ex utraque ejus Epistola hæ videntur esse.

1. Si canum stercora exhibentur ægrotis, quidni humanæ carnes, & album græcum Hydropicis propinatur? Et Cranium hominis Epilepticis præscribitur: Utrum vero religiosius existimandum carnes comedere, an Ossa?

2. Est oleosum quiddam substantificum in immature mortuis, immortale, incorruptibile, terram igni, aquam aeri conglutinans, partibus stabilitatem, duritiem verumque alimentum præbens: Id vi solis externi aromatis immixtum, aut suavi in temperamento calore, digestione cum oleis aromaticis extractum conducibile est. Id autem fit in Mumiæ nostræ extractione, quia ingreditur Tincturam oleosam & gratam.

3. Balsamis Mumiæ Theophrasti divinum est arcanum in ulceribus & apostematibus.

4. Si excuses cæteras Medicinas ut stercus asini, canis, muris, muli, equi, hominis (quæ à Galenicis etiam in corpora viventium pro Medicina ingeruntur) pulmones vulpis, lupi, intestina lupi & Hepar, & cordium genera multorum animalium, &c. dicasque illis non inesse putrilaginem cadaverosam, ut mumiæ: respondet imo inesse, & vel stercoris solum nomen abominabile quid præ se ferre, & talia animalia morbis item plurimis obnoxia esse.

5. Comedere

5. Comedere nos delicate Cadavera piscium & aliorum animalium, pauco sale & fumo delibutorum: interdum fœdata carie, plena vermibus & sepulchrali fœtore molesta: Quidni adhibenda sit Mumia potissimum aromatica, cum medicamenta ab omni corruptione, vel in bina annorum millia defenderunt, aut saltem exsiccarunt, istaque exsiccatione Balsamum ante extractum, quasi arte tincturarum Chymic. custodiant?

6. Si cruda ista & stercoracea vorantur, & sanies piscium, quod garum vocant, in deliciis est, & medicinis, per se, sine omni elaboratione; artificiose extracta *Mumia* non est fugienda.

Hisce & aliis *Mumiæ* Cadaverosæ usum confirmare adversus *Monavium* nititur *Mouffetus*: sed non ad palatum *Libavii*, qui solidioribus fundamentis contrariam fovet sententiam, & ad rationes *Moufeti* sequentia proponit, quæ hic inserere operæ pretium duxi: sic autem ille *p. 949. l. 2.*

Thomas Mouffetus de umbræ somnio sibi quæ placent, fingit: nullam amplectitur Mumiam, nisi aromaticam ex Balsamo tinctis cadaveribus, vel aliis balsamo non inferioribus, quæ & *Matthiolus* ponebat: sed talis *Mumia* neque adfertur, neque apud nos conficitur: Argumenta tamen habet speciosa: Non possumus negare salutis gratia multa absurda scientibus, ignorantibus obtrudi, & est, qui stercus vaccinum, vel equinum percolatum saltem infantulo recens nato sæpius ingerebat: ejusmodi Balsama noster Ventriculus non potest ferre: sed nisi necessitas cogat, talia medicamenta non laudamus: Et quid quæso nos impellat sepulchra solvere, & leges Naturæ civilesque violare, cum id, quod ex Cadavere expectatur, copiosissimis Medicinis compensaverit Deus? Si tantum est in membris humanis; sunt adipes & Ossa, quorum Balsamo & Sale extracto, absque scelere possumus uti, sicut Galenus stercore puerili, & alias Urina, ex qua

non contemnendas medicinas faciunt, vel Chymici: interdum etiam Baln. sordibus ad externa, nonnunquam Crinibus in Uteri motu, & Unguibus: Academici etiam sectorum cutes bene norunt locare. Hæc si egent aromatum essentiis & Tincturis, adeantur non sepulchra, sed Pharmacopolia: essentiæ extractæ, siquidem unio per digestionem & fermentationem quæritur, longe rectius in Athanore componentur, quam in sepulchro. Ita statuendum de sanguine est, cujus magna vis ex bene sanis, idque sine scelere & diritate suppetit, quid ad Cadavera confugimus?

Secundum argumentum *Monfeti* de Essentia Cadaverum immortali, magnifice quidem proponitur, sed id redarguit vel rogus, & illud Oraculum, terra es, & in terram reverteris. Illud æternum & immortale etiam arte ingeniosissima extractum in auras vanescit, quid putas accidere in sepulchrorum fermentationibus? Fingit sibi extractiones per liquores Balsameos, at consilium erat, non extrahere Cadavera, sed integra servare; non separare, sed unire: Itaque & motus ansa quærebatur præcidi. Verba grandia & *Paracelsicos* fumos audimus sed, ut firmiter assentiri possimus, & experientia discere, rem tradi, non invenimus. Supponere axiomata quædam de substantiarum caducarum & resolubilium æternitate ex arte Chymica in disputationibus Physicis, quid est aliud, quam comparate dicta simpliciter & absolute inculcare? Quæ Chymia habet de durabilitate Essentiæ Balsameæ, non excedunt hujus artis amplitudinem, & cum per comparationem cum cæteris, quæ ipsa vocat corpora, & crudas medicinas sint durabilia, tamen per se simpliciter etiam interire & solvi possunt, &c. Consideretur illa, quæ affertur Mumia. Ubi carnes & balsamus harum? Demonstret vero idem disputator, Cedriam, asphaltum liquidum, Nitrum, aloën, myrrham, esse

extra-

extractoria potius, quam corruptoria. Audiat Herodotum de mediocribus & plebeis condituris: non inveniet istam extractionem. Ita ex Corde, fonte vitæ, & Cerebro erat potissimus Balsamus faciendus: at hæc pereunt. Erat ex sanguine; hic, ubi apparet in evisceratis & ablutis? Immaturâ morte cadavera facta eligit. At hæc, quam sæpe fiunt peste, morbo gallico, exanthematis, febribus ardentibus, tabe, &c. quibus quid inest Mumiæ balsameæ, vel vivis adhuc perit? bello occisi, & supplicio magistratus raro condiuntur. Quos percussor violentus è medio tollit, age sane perveniant ad balsama, sed quo indicio deprehendentur post tot annos macerationis? Num signum additur sepulchris? sed addatur & hoc: si nobiles sunt, fieri non potest, ut in mercatorum perveniant manus. Itaque de umbra inapi verba magnifica fundimus.

In tertio argumento si quæras, ex qua re Balsamus iste Paracelsi factus fuerit, invenies de pomis loqui Mousetum, de cepis Paracelsum: si non possumus balsameam Mumiam, qua unicam probat Mousetus adipisci, frustra adducitur Medicina *Paracelsica*.

In quarto Objectionis solutio valde tractat imparia: consideret quispiam magisne debeamus Cadavera nostra, licet unguentis delibuta; & aromatis condita, vocare, si præparata bestiarum excrementa commode adhibemus? Quis sit adeo cæcus, quin videat bestias à bestiarum, atque adeo sui generis cadaveribus abstinere? Et divino permissu nobis inde nutrimentum esse, quod non ex homine: & vix esse ullam bestiam, quæ tam fœdas gignat sordes & excrementa, quam homo: & licet expurgentur Cadavera ante infusionem medicamentorum, tamen plurimum pernicialium humorum in recessu latitare, prodireque tandem, & si quid superest carnium morbi contagio infectum, vel sua ipsius potentia, tales abire impuritates, quales in ulceribus, fistulis, vulneribus purulentis,

valentis, naribus fœdo mucore fluentibus, alvo dysenterica, & aliis sæpe cum valida nausea conspicimus, nec audire possumus, ne nomina quidem sine Ventriculi subversione: Et multos in sectionibus cadaverum tam commoveri, ut pluribus diebus nequeant ferre carnes: multos, ne sanguinem quidem humanum tolerare, ne quid dicam horribilem Cacochymici ex venis viventium emissi sæpius depravationem & leprosam constitutionem: Quæ bestia est tot morbis & tantæ fœditati obnoxia, quam homo? Adde, nobiliores viros sæpissime horrendis morbis interire, & potentes potenter tormenta pati: Olent bestiæ multæ admodum jucundè, ut Zibeta, Moschi caprea & aliæ. Homo sæpe vivens adhuc & ambulans Titanicum ex Pulmonibus spirat: His & similibus rationibus conspicuum evadit, satis commode nos petere posse à bestiis medicinas, utpote, quæ in nutrimentum nostrum concessæ sunt, & reliquis quoque nostrum sunt dissimiles: sed non ab hominis cadavere s. aromatibus sit conditum, s. aliis rebus: Si vis scire, quantum faciunt aromata ad conservanda cadavera præter cutem & ossa, non tantum Galenum & Herodotum consule, sed & vivum exemplum cujusdam Græciæ Ducis Veneti Domini Sylvii uxoris delicatissimæ, quæ undique scatens & delibuta balsamis adeo computruit viva, ut nemo fœtorem posset tolerare: Considera Antiochum, Herodem & alios, qui procul dubio Balsamis sat crasse fuerunt obuncti: Qui *Medici* ejusmodi sanationibus viventium præsunt, sciunt, quantum balsamis, nimirum & ipsis corruptibilibus sit tribuendum: at debebamus plus proficere in vivis, quam sepultis: Ibi enim anima est, & spiritus cum calore ingenito, vero vitæ balsamo. Si tam præclara res est cadaverum balsamus, ut etiam universale medicamentum Paracelsistis proclametur, qui fit, ut Judæi tam facile inquinari à cadaveribus potuerint? Imo, cum Herodes Antipa

tipa Tiberiadem condidisset, jussissetque Judæos eo migrare, recusarunt omnes, quod esset locus cadaverum, ibi sepultorum acervis inquinatus, at nobilissimum medicamentum conveniebat Dei populo devotissimo: scribendum itaque est Theta nigrum opinioni *Mouseti*.

Quintum & sextum objectum eodem diluuntur judicio. Adjicimus non posse esse salutarem medicinam vivis id, quod cadavera præstat incorrupta, si præstat, ut tonitru, Cedria, & cætera, quæ cadavera gustata aliquando à bestiis lethalia ipsis fuerunt, nihil proficiente contra venenum *Mumia*. Quantæ quæso laudes conferuntur in Chymica balsama, olea, tincturas, Quintas-essentias? Quotus quisque est, qui istorum auxilio, non dicam à morte defensus est, sed à corruptione cadaverosa, exceptis his, quæ non facile putrescunt, Cute & ossibus? Satius est autem cum Horatianis patribus rancidum aprum laudare, & cum Saxonibus lardum comedere, & verminosum caseum, quam cadaverum tabem ex sepulchris egestam in stomachum immittere: Nam in principio putrefactionis horum, quæ consuevimus in cibis sumere, nondum periit essentia balsamea, ut in vino incipiente corrumpi, sed in tot annorum cadaveribus omnino pessundata est, nec potest ulla essentia laudabilis inde segregari, ut nec ex aceto vetere Vini, spiritus. Hactenus Libavius.

Ab hoc tamen hujusque sententia plurimi secedunt *Medici*, *Mumiam* Cadaverosam in magnis contusionibus, in dissolvendis sanguinis grumis, in glutinandis vulneribus, adversus venena, & venenatos animalium morsus, & in similibus casibus, mire commendantes & præscribentes.

Mundererus lib. de Alcedario Curioso. pag. 63. testatur, se vidisse Augustæ in officina Pharmaceutica eximii viri N. N. Pharmacopœi *Mumiam*

seu

ſeu cadaver pene integrum, Cairo ad eos allatum, cujus oſſa adeo fuerant integra & alba, imo candidiſſima, ut ne cariem ullam vel minimam teredinem ſenſerint. Imo & pannus, quo Cadaver hoc involutum erat, nullatenus computruerat, ſed ſubſtantiæ cadaveris, ac quondam carnis, quæ vi conditurae in Mumiam tranſiit, firmiter adhærens, integer ſpectabatur.

Utuntur vero Medici Mumiâ, vel eâ, quæ ad nos defertur ex Ægypto, vel aliâ præparatâ, quæ Philoſiplica dici poteſt.

Vulgaris illius *M*umiæ uſus medicus ab Andernac. Comm. 2. Dialog. 5. pag. 189. ſequentibus in genere depingitur.

Arabum Mumia, inquit, antidotum eſt præſentaneum, variiſque affectibus ſalutare. Drachmæ quidem ſemiſſis pondere ex Vino, Vertigini, morbo comitiali, obſtructionibus & Venenis auxiliatur: Ex amarici autem aqua, naribus indita, Hemicranicis, reſolutis & ore diſtortis opitulatur, meatibus aurium cum leucoiooleo infuſa, frigidos illarum dolores diſcutit: nec non rupturis, fracturis, plagis & lapſis ex alto, eodem pondere ex Vino potui ſumpta ſuccurrit: naribus indita cum moſcho, caſtoreo, camphora & oleo balanino ad longos capitis dolores & contumaces recte adhibetur, cum alia remedia nihil profecerint, tribus diebus ex Zizyphorum, hordei & myxariorum jure pota, tuſſientibus auxiliatur: quatuor autem granorum pondere, ex mentæ aqua ſumpta, cordis affectus tollit. Ex jure cumini, ammeos, & carui flatus tum Ventriculi, tum inteſtinorum diſcutit: lapſis ex alto, cum ſiliquæ Ægyptiæ medulla prodeſt, ſi Lemnium ſigillum, & rubiæ radix adjungatur: pota quoque trium vel quatuor granorum pondere ex cumini & apii jure, ſingultum diſcutit: adverſus anginam ex oxymelite recte gargariſatur: Ex cari decocto Lienis affectus diſſipat: contraque ſcorpionum ictus efficax eſt: foras illita, externa ſan-

sanguinis profluvia astringit, pota autem, interna: eoque cruentas excreationes sistit, &c.

Hinc *Medici* varias exinde medicamentorum concinnant formulas.

1. *Pulveres* ad dissolvendos sanguinis grumos à contusione; Sic *Munderenus in Medic. militar. pag.* 354. sequentem parat.

℞. MUMIÆ ℥. ß.
Spermat. Ceti ʒ. ii.
Ocul. 69. ʒ. iii. adde parum liquiritiæ & Cinam. & paululum tormentill.

De hoc pulvere exhibe patienti quotidie vesperi & mane ʒ. i. hinc non tantum materia purulenta, cruenta & similis, sed & sæpe tela & globuli ejiciuntur ex corpore.

Mullerus in miracul. Chymic. in sanguine coagulato ex casu ab alto sequentem proponit.

℞. Rhabarb. ʒ. i.
MUMIÆ gr. ix. misc. cum Vino albo.

Vel. ℞. Rhapontici ℥. i.
Spermat. C. *Mumiæ*. an. scr. ß. Fiat pulvis, in aq. scabios. vel cærefolii assumendus.

Platerus l. 1. *Observat. Medicin.* in Apoplexia ex casu cuidam hunc propinat.

℞. Rhabarb. elect. ʒ. i.
MUMIÆ sc. i.
Electuar. de succ. rosar. ʒ. i. ß. Cum aqua cærefolii bibat.

Stockerus pag. 140. pulverem contra sanguinem coagulatum sequentem conficit.

℞. Balaustior. Boli armen.
Violar. myrrh. an. ʒ. iii.
MUMIÆ ʒ. i. ß.
Meliloti ʒ. i. misce. F. pulvis. Dosis ʒ. i. ß. cum aq. plantag. aut cærefol.

Forrestus l. 6. *Observat. Chirurg.* 31. scribit, apud Colonienses hunc in usu esse contra casum, cujus autorem dicit esse *Zittardum Medicum*.

℞.

℞. MUMIÆ.
Scabios. Pilosell. Hypericor. an. ʒ. ß.
Costi Dulcis, amari, nucis mosch. an. ʒ. i. ß.
Terræ sigill. boli arm. an. scr. iv.
Rubiæ Tinctor. Rhapont. sem. nigell. an. ʒ. vi.
Spermat. Ceti, rhabar. an. ʒ. ii.
Trochisc. de agar. Cumini præpar. an. ʒ. i.
M. F. pulvis dosis ʒ. i.

Augustani in Pharmacopæa sua hunc exhibent.

℞. Terræ sigill. aut boli Armen.
MUMIÆ.
Sanguin. Dracon. an. ʒ. ii.
Spermat. Cet. ʒ. i.
Rhabarb. ʒ. ß. M. F. pulvis. Qui propinatur præcipitatis, ruptis, contusis, fractis ex Vino adstringente, vel cui incoxerint, quæ adstringendi vim habent, ut rosæ, balaustia, &c.

Deinde & Pulveres ad *partum accelerandum* cum *Mumia* conficiantur.

Weickardus seq. habet.

℞. Myrrhæ elect. Castor. non rancid.
Succini albiss. an. scr. i.
MUMIÆ, macis an. scr. ß.
Croci gr. v.
Fol. auri puriss. N. i. pulverisentur subtilissime, & ejus ʒ. i. exhibeatur cum Vini malvatici ℥. iii.

Idem *pag. seq.* in simili casu notat singularem quendam.

℞. MUMIÆ ʒ. ß.
Flor. sulph. scr. i.
Cinam. Croci an. scr. ß. Misce F. pulvis, detur cum Vino Malvatico.

Tertio & in *Dysenteria* ejus usus est.

Poppius Thesaur. medic. pag. 384. talem propinat.

℞. Corall.

℞. Corall. rubr. præpar. ʒ. i.
Magnet. præparat. ʒ. ß.
Lapid. Hæmatit. ʒ. i. ß.
Sanguin. Dracon. ʒ. ii.
MUMIÆ ʒ. i. ß.
Sem. plantag. ʒ. iii. Fiat pulvis Dosis ser. i. vel. ʒ. dimidia in Vino bono albo.

ALIUS.

℞. *M*-U*M*I*Æ*.
Rub. tinctor. an. ʒ. ii.
Croc. *Mart.* ʒ. i.
Spermat. Ceti scr. ii.
Rad. plantag. ʒ. i. ß. *Misc.* F. pulvis. Dosis ad ʒ. ii. in aq. burs. pastor.

4. In *Spasmo & convulsione* universali cum aqua Salviæ juveni cuidam aliquando propinatus fuit Pulvis *Mumiæ*, quod levamen eximium præstitit.

2. DECOCTA & potiones quoque ex *MU-MIA* componuntur, in prædictis aut etiam aliis casibus.

Forrestus l. c. obs. 29. juveni cuidam ex saltatione supra palum cadenti, ac seipsum lædenti, hanc exhibuit potionem.

℞. *MUMIÆ* spermat. Cet. an. ʒ. ß.
Rhab. elect. scr. ii.
Trochisc. alkekeng. sine Opio ʒ. ß. ligentur in puppa rara, exprimenda, dum potio sumetur.

Quercetanus in Pharmacop. Dogmat. restituta p. 172. hoc depingit sudorificum singulare adversus vehementem corporis concussionem ex alto & gravi quodam lapsu contractam.

℞. Radic. bugloss.
Cardui ben. an. ℥. ii.
Sem. Carduib. ℥. ß.
Butyr. recent. ℥ i. ß.
Spermat. Cet. ℥. ß.
MUMIÆ veræ ʒ. i. ß.
Croci scr. i. bulliant in lib. i. ß. Vini albi

albi lento igne ad consumptionem tertiæ partis: De colatura exhibe ℥ iv. vel vi. calide: æger expectet sudorem in lecto cooperto plus solito.

Idem *pag*. 174. ponit potionem Universalem i. e. omnibus tam internis, quam externis vulneribus & ulceribus conducentem, cum Mumia paratam.

℞. *MUMIÆ* ℥. ß.
Rad. tormentill. consolidæ utriusque an. ℥. i.
H. Limonii utriusque Saniculæ.
Pyrol. verben. alchemill.
Persicar. an. M. i.
Vincæ pervinc. herbæ Robert. an. M. ß.
Fl. verbasc. hypericon.
Centaur. min. an. P. ii.

Astacorum expurgatorum & exsiccat. N. vi. macerentur per duos dies in Vini albi & aq. Veronic. an. lib. ii. in vase circulatorio ad calorem B. M. vaporosum: deinde fiat expressio, & colatura per manicam Hippocr. aromatisata, pauco Cinam. vel Coriandro in succo cytoniorum præparato.

Dosis cochlearia duo, vel tria mane & vesperi tantundem, tribus ante cibum horis.

Alia portio non minus elegans.

℞. Oculor. cancri ℥. ß.
MUMIÆ ʒ. ii.
Boli armen. ver. ʒ. i. ß.
H. agrimon. Ophiogloss. veronic. Cyclamin. an. *M*. i.

Spermat. Ceti ℥. i. *M*acerentur in Vino albo per duos tresve dies, deinde fiat expressio & colaturæ clarificatio, de qua capiat cochlearia duo, vel tria mane & vesperi, si opus fuerit.

Idem *p*. 176. potionem quandam Venenatis vulneribus sclopetariis convenientem similiter delineat.

℞. Rad. angelic. Zedoar. galang. an. ℥. ß.
MUMIÆ.

MUMIÆ.
Flor. vinc. pervinc. lil. convall.
Boli armenæ veræ an. ʒ.
Spermat. Ceti ʒ. ii. digerantur & circulentur in B. *M*. per quatuor dies in q. s. Vini albi & aquæ fumar.

Dosis & utendi modus, idem, qui supra.

Vide *pag*. 177. potionem vulnerariam cum *Mumiæ* ʒ. i. ß. in fracto osse ab ictu sclopetarii: ut & aliam, sanguinem ex vulneribus erumpentem, prohibentem.

Decoctum peculiare ad *morsum canis rabidi* idem p. 183. cum *Mumia* conficit.

℞. Rad. Gentian. Valerian. an. ℥. i. ß.
Consolid. minor. rutæ sicc. puleg. an. *M*. i.
MUMIÆ.
Cancrorum calcinator an. ℥. i. coque cum Vino. De hoc decocto æger capiat mane ℥. ii. vel tres per octiduum: Plura repete ex eodem ejusdem autoris sclopetario, ubi multa habentur utilia medicamenta, quorum compositionem *Mumia* ingreditur *pag*. 96. 97. 112. 143. 147. 151.

D. Schroierus in consil. Brendel. pro concusso Cerebro, præmisso clystere hanc exhibet potiunculam purgantem cum *Mumia* paratam.

℞. Elect. Catholic. ℥. ß.
Indi mai. Diaphænic. an. ʒ. ii.
Rhabarb, scr. ii.
Rubiæ tinctorum.
MUMIÆ an. gr. xv.
Oxymel. scyllitic. mell. anthos. an. ℥. ß.
Decocti stæchad. hyssop. & betonic. an. q. s. F. potio.

3. *Laudanum Opiatum* duplex cum ea parat *Crollius Basil. Chymic. pag*. 174. *&* 177.

4. *Syrupum adversus Herniam* usurpandum cum *Mumia* paratum habet *Weickard. pag*. 313. & est seq.

℞. *MU-*

℞. *MUMIÆ* ʒ. ii.
Limatur. chalyb præpar. ʒ. i.
Stercor. lepor. sicc.
Cineris lumbricor. an. ℈. ii. cum succo Herniariæ cum sacharo cocto in formam Syrupi redigantur, aut cum infusione Tragacanthi, fiat massa; Capiat. scr. ii. vel ʒ. i. pro una vice.

5. *Conditum* in conquassatis utile ex *Mumia* quoque concinnatum habet *Forrest. lib. cap. obs.* 29. in comment.

℞. MU*MI*Æ.
Capillor. Vener. millefol.
Hypericon. an. ʒ. i.
Sem. ammeos, cipperi longi. myrrh. an. ʒ. ß.
Nucis mos. rubiæ tinctor. sperm. cet. an. scr. iv.
Sem. nigell. trochisc. de agaric.
Costi dulc. & amar.
Boli armen. terr. sigill. an. scr. i.
Oxysacchar. compos. q. s. detur ad magnitudinem fabæ, vel ʒ. i. cum vino calide, vel paulo plus pro vice, & omnis sanguis coagulatus seipsum dividet, & expelletur: modo deinde detur semel decoctum Senæ cum rhabarb. ʒ. ß. pro evacuatione.

6. Tincturam ad sanguinem concretum legimus apud Mylium in antidotario suo pag. 599.

℞. *MUMIÆ* ʒ. ii.
Sanguin. hirc. spermat. Cet. an. ℥. ii.
Rhapontic. Mechaoc. an. ʒ. ii.
Oculor. 69. ʒ. i. ß.
Terræ sigill. ʒ. i.
Cardui ben. scr. iv.
Sem. natust. aquileg. an. ʒ. ii. ß.
Nucis mosch. Cinam. an. ʒ. i. ß.
Sach. ℥. iii. Misce. F. cum Vino l. a. Tinctura.

EXTERNUS usus *Mumiæ* est, in Unguentis, emplastris

emplastris & Ceratis, quibus ad diversos utuntur affectus.

Paracelsus in Chirurg. magn. varia inde parat medicamina: *pag.* 303. hoc habet Unguentum in ulceribus antiquis.

℞. *MUMIÆ*
Mastich. thur. myrrh. an. ʒ. ii. ß.
Flores æris ʒ. ß.
Ol. de *Mumia* ℥. iii. ʒ. i.
Aloe patic. q. s.
Terebinthæ lotæ ℥. iii. ß.

Coque secundum artem, F. Unguentum, quo locus affectus inungatur.

Et pag. 305.

℞. Spumæ Saturn. rub. ceræ.
Olei an. lib. iii.
Chelidoniæ: serpentin. guttosæ an. ℥. ß.
Mastich. opopan. myrrh.
MUMIÆ, Galban. an. ℥. i.
Aristoloch. rotund. Thuris.
Ammoniac. an. ℥. i. ß.
Terebinth. ℥. vi. *Misce* s. a. cum oleo lumbricor. F. Emplastrum.

Pag. 442. absolvit curationem ulceris post actum Venereum in membro virilis permanentis Camphorato & emplastro de *Mumia.*

Illud, ita fit.

℞. Camphor. ʒ. ii.
Vitell. ovor. ℥. iv. F. mixtura: quæ posita super marmor in loco humido abit in Oleum.

Hoc sequenti modo paratur.

℞. *MUMIÆ* ℥. ß.
Resinæ ablutæ per aquam rosar. q. s. pro incorporatione, F. Emplastrum.

Pag. 443. hoc ponit consolidativum.

℞. Consolid. regal. lib. ß.
Aristol. long. ℥. iii.
MUMIÆ ℥. ii.
Myrrhæ, ℥. ß. Post triturationem adde.

Ole

Olei rosacei q. s. pro incorporatione Emplastri: vide & p. 451. 461. 463. &c.

Paracelsus quoque in usu habuit ex *Mumia* Emplastrum quoddam Oppodeldoch. magnum dictum, magnarum & insignium virtutum usibus plurimis inserviens: illudque ita dextre componitur.

℞. Galban. opponac. an. ℥. ii.

Ammoniac. Bdell. an. ℥. i. macerentur in aceto per octo, vel plures dies, cola, & tandem inspissa leniter ad mellis crassitiem. deinde

℞. Lithargyr. tenuissime pulverisati lib. ß. coq. in ol. commun. lib. i. ß. lento igne, & continuo move cum spatula, donec spadiceum colorem contrahat, adde lib. i. ceræ, qua liquefacta immisce etiam superiora gummata, & paulo post olei laurini ℥. iii. move diligentissime donec omnia exactissime fuerint mista, remove ab igne. & extremo adde hos pulveres tenuissime tritos.

℞. *MUMIÆ* transmarin.

Croc. *Mart.* *Magnet.* præparat.

Magist. corall. rubr. & albor. an. ℥. ß.

Lapid. calamin. præpar. Rad. aristot. rot. an. ℥. ii. hos pulveres infunde in liquefactum Emplastrum pedetentim, & proinde diligenter, ut omnia perfectissime coeant, misce. Postremo omnium

℞. Pulver. succin. ʒ. i.

Ol. laurin. ℥. i.

Terebinth. ℥. ß. misce, & liquefac seorsim, solve in eodem Camphor. ʒ. i. & tandem Croci Oriental. pulveris. ʒ. ß. hanc solutionem seorsim factam Emplastro calido misce, idque fac prudenter, ut omnia per minima conjungantur: exinde fac magdaleones, malaxando cum ol. hyperic, & serva.

Curat hoc Emplastrum omnia vulnera, cæsim vel punctim facta, sine omni pure: excrescentiam carnis in vulneribus impedit, ejus, tantum, quantum opus est,

est, producendo: ulcera antiqua prius mundificata similiter cum hoc emplastro curantur.

Quod si vero illud fortius desideras, ad sanan-da etiam quævis esthiomena & corrodentia ul-cera.

℞. Croci mettallor.
Vitriol. ad rubedin. calcinat.
Mercurii per se præcipit. an. q. v. *Mis*-ce, pulverisando: hujus pulveris ʒ. ß. misce ad sin-gulas ℥. ß. emplastri liquefacti prius in sartagine, ac postea pulveres intritos misce superaddendo aliquid Ol. Terebinth.

Munderervs laudatum suum Emplastrum *Opotel-doch*. non sine *MUMIA* quoque componit, descri-bitur idipsum in *Dispensatorio ejus particular. pag.* 46. *& lib. de Calcantho cap*. 7.

Emplastrum quoque *Apostolicum* recipit ℥. i. ß. Nigrum, quod G. Bruchpflaster dicitur ℥. ii. Illud delineatur in *Pharmac. August. pag.* 274. *& hoc. p.* 422.

Ceratum insuper de *Betonica*, ut & pro Herniosis cum *Mumia* paratur. Illud conficitur.

℞. Terebinth. resin. pin.
Ceræ flav. an. ℥. ii.
Betonic. pulveris. ℥. ß.
Mastich. thur. an. ʒ. ii.
MUMIÆ ʒ. i. ß. *Misce*: aliud alio mo-do paratum videre est apud Forest. lib. 6. obs. Chi-rurg.

Hoc vero pro Herniosis, quo frequenter usus est Excellent. Chirurgus D. Coiter in Herniosis affecti-bus magno cum emolumento & successu, sic fit.

℞. *MUMIÆ*, mastich.
thuris, succin.
Gumm. arabic. tragacant.
Aloes opt. balaustior. rosar. an. ʒ. ß.
Sanguin. Dracon. boli armen.
Hæmatit. an. ʒ. vi.
Ol. rosar. ℥. iii.
Myrtin. mastich. an. ℥. ß.

Cum

Cum Cera & resina q. s. F. Ceratum.

Aliud habet *Fernel. lib.* 7. *m. m. pag.* 432. & sic cum *Mumia* paratur.

℞. *Mumiæ*, thur. myrrh.
Aloes, mastich. an. ℥. ii.
Consolid. mai. & min. caudæ equin.
Glasti, scolopendr. rad. osmund. regal.
Et filic. an. ℥. i.
Boli armen. lot. cum aceto, lapid. calamin. præpar.
Litharg. aur. sang. Drac. an. ℥. iii.
Picis navalis lib. ii.
Terebinth. ℥. vi. vel q. s. ad Emplastrum fingendum.

Forrestus l. 6. *Chirurg. obser.* 44. sequens depingit Ceratum humanum ex Mumia.

℞. Terebinth. lotæ cum Vino malvat.
Resin. pin. col. Ceræ alb. an. ℥. iii.
Mumiæ. ℥. i. ʃs. liquefiant simul liquefacienda postea adde Mumiam, paulatim cum spatula miscendo, usque quo acquirant mixtionem perfectam circa ignem, ne coaguletur: facta conveniente mixtione omnia projiciantur in vase argenteo vel alio mundo, in quo sunt lib. 4. aceti rosac. ex Vino malvatic. & sic permittatur per diem ac noctem: deinde manibus in eodem aceto bene malaxetur, usque quo Ceratum totum expressum fit ab aceto: postea impone Ceratum in vase vitreo, vel terreo vitreato sine aceto, & in tali vase pone lactis muliebris ℥. ii.
Succi tormentill. betonic. an. ℥. ii.
Pentaph. ℥. ʃs. bryon. plantag. an. ℥. i. ʃs.

Omnia lento igne bulliant usque quo consumetur de prædictis liquoribus tanta quantitas, quanta fuit lactis: postea adde succi Verben. ℥. i. succi pimpinell. ℥. i. ʃs. & pone omnia in ferventi sole cum cautione, ne à Vento pulvere externo repleatur, cooperiendo aliquo panno raro, & ita fiet in sole per mensem ad minimum:

nimum; addendo singulo die Lactis ℥. ii.
Succ. betonic. ℥. i. & ita exficcentur succi & Lac, donec veniat ad formam Cerati, vel Unguenti.

Utitur vero hoc modo, parando sc. petiam magnam circumdantem vulnus per quatuor digitos, vel circa, pluribus foraminibus perforatum, & in vulneribus supra os, vel infra; cum amotum erat, supra panniculum ponebat petiam magnam dicti Cerati, extensam super sindone, & sic tenta aliqua, vel turunda, aut licinio ex panno lini subtilis replebat vulnus, lenissime tamen; Et hoc Ceratum circa septimum diem, nisi sanguinis fluxus impediret, applicabat; lavando semper vulnus cum Vino malvatico, in quo bullierant rosæ; & sic usque in finem procedebat, semper ponendo duas vel tres guttas mellis rosati bene cocti in vulneris fundo.

Adversus *suffocationem Uteri* suffitum quendam ex *Mumia* aliisque adjectis componit *Weickard*. pag. 323.

℞. *MUMIÆ* ℥. ii.
Galban. bdell. opopanac. an. ℥. i.
Thuris, myrrh. styrac. calam. an. ℥. i. ß.
Alipt. mosch. ℥. ß.
Rad. asar. schœnant. an. scr. ii.
Ungulæ asin. scr. i. pulverisentur, & cum resin. Laric. F. Trochisci, urantur supra carbones ignitos in sella undique cincta & occlusa dum mulier sedet, ut fumus inclusus ad vulvam perveniat.

Cum & ex prædicta *Mumia*, spiritus quoq; Oleæ, Tincturæ, & alia parantur.

Paracelsus in Chirurg. mag. p. m. 306. quatuor ponit medicamenta consolidativa ex *Mumia* conficienda.

Primum experimentum est. ℞. *Mumiam*, eamque in vitro occluso serva per quatriduum in tercio gradu ignis; postea remove, & exficca pulveremque inde para.

Al,

Alterum hoc profert: ℞. Mumiam, & ei superfunde Ol. de vitell. ovor. exsicca, postmodumque destilla per descensum.

Tertium hoc est; ℞. Mumiam pulverisatam, affunde ei oleum ex semin. lini paratum an. stent in digestione per biduum. Deinde tantundem ei adde alcohol. vini, stet per diem & noctem, postea spiritum V. separa, exsiccatamque materiam pulverisa.

Quartum dicit esse: si sine additione comburas Mumiam in cineres, & exinde lixivio facto, salem conficias.

AQUA BALSAMICA cum Mumia parata hæc est.

℞. Aquæ destillat. ex æquis partibus foliòr. & fl. rorism.
Folior. & gran. lauri.
Sanicul. Veronic.
Peti, myrti, plant. lib. vi.
Terebinth. Venet. lib. i.
Gummi heder. & cerasor. an. ℥. iii.
Thuris mascul. myrrh.
MUMIÆ veræ an. ℥. ii. ß.
Aloes succotrin. ℥. iv.
Macis. piper. caryophill. an. ℥. i.
Sachar. lib. ß. Croc. ℥. ß.

Omnibus invicem mixtis, fiat in Retorta destillatio per cineres, ut artis est, donec recipiens sua sponte refrigeretur: hanc aquam, quæ tota oleaginea est, citra ullam rei alicujus separationem serva in phialis probe clausis.

Excellentissima & pretiosissima adversus omnis generis apostemata, ulcera interna & externa, potissimum contra fistulas, & ulcera maligna & serpentia: ex ea lavabis fistulas, admotis solummodo aliquot ejus guttulis: præstantissima quoque est ad carbunculum & anthracem pestilentem, ad vomicas, abscessus, apostemata & ulcera interna: offerendæ tantum sunt aliquot guttulæ cum Vino albo aut cum alio quodam jusculo, vel aqua vulneraria.

OLEUM

OLEUM præstantissimum in paralysi & contractura nervorum, quæ ex vulneribus accidunt, describit *Quercet. in selopetar. pag.* 128. & est sequens.

℞. Olei hypericon. lib. i.
Terebinth. lib. ß.
Ol. laurin. ℥. iv.
Spicæ ℥. i. ß.
Granor. Junip. lib. ß.
Castor. ℥. i.
Euphorb. ℥. ii.
Caryophill. mac. Nuc mosch.
Cinam. an. ℥. i. ß.
Fl. lavendul. Salviæ, lilii conval. an. M. ii.
*M*astich. myrrh. thur. an. ℥. ii.
MUMIÆ ℥. i. ß.
Pingued. taxi ℥. iii. digerantur omnia per mensem in fimo, deinde destillentur in alembico æneo secundum artem.

Quo oleo inungantur membra paralytica & contracta, est enim medicamentum efficacissimum.

Oleum Balsami Petri de Ebano cum *M*umia paratum, hoc est.

℞. *MUMIÆ*, myrrh, aloes,
Spicænard. thur. sanguin. dracon.
Opopanac. carpobalsam. bdell.
Ammoniac. Sarcocoll. Croci.
*M*astich. gummi arabic. styrac. liquid. an. ℥. ii.
Laudan. castor. an. ℥. ii. ß.
Terebinth. ad pondus omnium: tritis conterendis misceantur, & ex alembico destillentur.

Balsamum hoc artificiale veri balsami penuriam substituit, efficacia non propemodum ad singulares balsami vires accedit, atque id potissimum, quod hoc loco descriptum ab omnibus fere Chirurgis vulgo usurpatur: tenuium partium est, calefacit, exsiccat & glutinat: nervorum vitiis,

 paralysi,

paralysi, cæterisque noxis frigidis spinæ illitum confert.

Quod si idem tepefactum inunxeris ante febrium accessionem, rigores mire sublevat, Cordis tremorem, palpitationem ac Syncopen sanat; hecticos & emaciatos impinguat, addito Rhodo stagmate occipiti & Renibus illitum. Uteri strangulatus juvat; comitialibus plurimisque aliis affectibus subvenit; tristes, melancholicos, ac animum despondentes reficit, nec non cadaverum putredinem vindicat.

Nec omittendus *Balsamus ille antipodagricus Cratonis, in consiliis Scholtzianis* descriptus, qui similiter ex Mumia conflatur; & sic habet.

℞. *MUMIÆ*. mastich. thur.
Myrrh. ammoniac. opopanac.
Bdellii an. ℥. ii.
Vitrioli lib. i.
*M*ellis lib. ii.
Tartari ℥. i. ß.
Spiritus Vini lib. iv. Destilla secundum artem, præbet optimum balsamum, lenit mirifice, si penna illinatur, & intolerabilem dolorem.

Alii hoc ipsum ol. s. balsamum efficaciorem reddunt cum oleo Equino, quod sic fit.

℞. Inferiorem mandibulam equi, redige in tenuem pulverem, & fac inde oleum. Hujus
℞. ℥. ii.
Prædicti bals. ℥. iv. *M*isce, & una adhuc semel destilla, & reserva.

Alium balsamum mirabilis in vulneribus efficaciæ cum *M*umia concinnatum depingit. *Glandorp, in Specul. Chirurg. pag.* 32.

℞. Succi flor. hypericon. ℥. iii.
Nicotian. ℥. ii.
Betonic. menth. apii, pilosell. an. ℥. i.
Pulver. rad. consolid. mai. ℥. i. ß.
Aristol. rotund. Iridis Illyric. an. ℥. ß.
Lumbricor. terr. in Vino lotor. ℥. ii.

Vini

Vini rubri auster. ℥. vi.
Olei commun. veter. ℥. iv.
Myrtin. rosac. hyperic. an. ℥. ii. bulliant simul ad succorum, & ad Vini consumptionem; fiant postea levis colatura, cui adde
MUMIÆ subtilissime pulveris. ʒ. vi.
Thuris. myrrh. an. ℥. ß.
Terebinth. lotæ in aq. Veronic. ℥. iii. penes ignem tepide misce, indantur Vitro, servando ad usum.

Quintam Essentiam ex Mumia educit *Henricus de Schenis in Apothec. Spagyric. pag.* 121.

℞. Quintam essentiam Vini Chelidoneati superfunde *MUMIÆ*, ut quatuor digitos superemineat, digere per decem dies, postea lento igne destilla per quinque dies, ut demum quinta die absolvatur destillatio; postea repete destillationem illam, ut ante, donec tota *Mumia* solvatur.

Huic dissolutæ MUMIÆ adde decimam sextam partem balsami aromatarii, & duodecimam terræ sigillatæ; *Misce*, & vitro bene clauso inde, circulentur ad solem per quadraginta dies.

Præstantissima est antidotus contra Venena, & sanat internas læsiones s. à casu s. etiam aliunde, si Vena aliqua rupta sit.

Hactenus de vulgaris *Mumiæ*, quæ aliunde ad nos defertur *Medicinali* usu. Nunc de Philosophicæ *Mumiæ* & præparatione & usu.

Paratur autem *MUMIA* Philosophice s. Chymice sequenti modo.

Eligatur cadaver hominis ruffi (quia in hoc sanguis est sincerior, ideoque caro præstantior) qui dum in vivis esset, accuratâ integritate & sanitate præditus, vel ad minimum, nullo difficilis passionis, aut in ipsa partium essentialium constitutione facultatisve per se læsæ Organo, adeoque Mumiali quodam-morbo detentus fuerit, qui recens sine macula, viginti quatuor aut circiter annorum, quique suspensus, vel rota

 contritus,

contritus, vel hastatus per diem & noctem in aere relictus, tempore tamen sereno collectus: hujus carnem musculosam brachiorum, femoris & aliarum partium à duobus Luminaribus illuminatam ac constellatam frustulatim conscinde, & asperge pulvere myrrhæ, & tantillo saltem aloes: postea imbibe macerando aliquot dies in S. V. suspendatur per horas sex, vel decem, ac iterum cum eodem S. V. imbibatur, tandem in aere sicciori, locoque umbroso, non vero sole, frusta suspensa siccescant: tumque assimulatur carni fumo duratæ sine fœtore.

Male tamen imo pessime Andernac. Comm. 2. Dialog. 5. p. 189. in defectu *Mumiæ* vulgaris, Cadavera ex nosodochiis desumenda, & aloe, myrrha, Croco, & oleo nucis moschatæ destillatitio imbuenda esse docet: sic, ut liquor ex carne humana extractus processu temporis, adjungatur.

Nam cum hæc balsamum morbificis Tincturis inquinatum, imo interdum absumptum, & vix restibilem possideant, facile assumenti vel utenti impressionem injicere possunt.

At corpus strangulatum, perque aeris interceptionem interfectum, nullam propterea impressionem tyrannicam in suam corporalem massam, elementaliter perpessum, penitus indestructum permanet, elementali resolutioni s. putrefactioni minus obnoxium, donec sub udo cœlo & in aere sic conservatur: idque propterea, quod evolutio humoris aquei, quæ aere & motu accelerata, humorem oleosum balsamicum in suo esse conservarit, qui alias in consortio humoris aquei fuisset, una evolaturus, quod conspicue est, in palis ignem passis, & carnibus fumo castigatis, quæ eandem ob causam partim longissime durant, partim succum alibilem integrum retinere, & inde in deliciis sæpe haberi soleant. Accedit, quod pœnam tam contumeliose ferendo spiritus *Mumiales* ob mali præsentiam in summam ἀγχόνην abrepti & exasperati, ipsis intimis substantiis acerrime & acutissime

vis ad quascunque facultates instructius reddere-tur: ita jam post mortem eo ipso balsamica quadam potentia intimius imbutum, habitudini elemento-rum putredinali fortius repugnat, seque contra omnem, cum putredinis, tum totalis corruptelæ insultum defendit. Propterea corpore s. domici-lio spiritus s. balsami vitalis integro, illæsoque permanente, balsamus etiam ab ipso discede-re non necessum habet: quousque ita in sua E-lementa irresolutum illud perstiterit: Ideoque nihil hic derelinquitur, aut separatur, præter animam animantem rationalem s. formam homi-nis informantem, cujus præsentia specifica cujus-vis differentia erat constituta: homo enim vita defunctus, & in *Mumiam* redactus, homo am-plius, nisi æquivoce non est: spiritus vero vi-talis, vegetabilis, balsamus Naturalis, symphy-tus, & cum eo occultarum vitium exuberantia in tali corpore nullam jacturam patitur: ut habet Tentzelius *Med.* Diastat. cap. 6.

Tinctura elegans, ex prædicta Mumia Philoso-phica, paratur cum spiritu Vini s. a. vel spiritu Sambucino (qui fit ex floribus sambuci primo fermentatis, postea more spirituum aliorum destillatis) extracta, à qua sp. V. ad mellaginem usque abstrahitur.

℞. Hujus extracti lib. ß.
Theriac. Androm. ℥. iv.
Ol. olivarum *Mumiat.* ℥. ii.
Magister Corall. perlar. am. ʒ. ii.
Terræ sigillat. ℥. ii.
Mosch ʒ. i. misce, & diligenter cir-culando digere per mensem.

USUS.

Tempore pestis matutinis horis utere ℈. i. sic immunis ea die eris à veneno infectus. vero ʒ. ß. in aq. Carduib. vel Ulmar vel Theriacal. assumat in

in apostematibus, carbunculo, anthrace, Pleuritis maligna ʒ. i. administratur: proinde exactis sex horis alteram exhibe drachmam. Contra quævis venena à ʒ. ß. ad ʒ. i. pelliturque hoc medicamento, quicquid est bestialium vel mineralium venenorum.

OLEUM olivarum MUMIATUM ita parat Quercetan. de medic. spagyric. præparat. cap. 1.

MUMIAM Philosophicam antea paratam scinde per minima quantum fieri poterit, indatur matracio oblongo collo, affundendo menstruum olivarum, putrefac omnia per mensem integrum, vase clauso Hermetice, ut fiat solutio: Deinde aperto vase transfunde materiam Cucurbitæ vitreæ, quam colloca in B. ut vase aperto exhalet Mercurius, quod fit cum incredibili fætore: sic remaneat, donec nullus exeat fætor, & Mumia tota dissoluta sit: solutionem infunde in aliud vas, quod superest, digeratur denuo in B. donec prodeat in oleum crassum & fuscum instar Syrupi: Quo facto, circulabis omnia cum Spir. V. optimo in B. per viginti dies, separato tandem spiritu remanebit in fundo rubicundum & odoriferum oleum, omnes balsami Naturalis habens proprietates, quodque per se venenatis omnibus & pestilentibus affectibus valde conducit, & sic sufficit ad priorem processum.

Anodynum externum ex Mumia hac paratur apud Popp. lib. 1. Thesaur. Med. pag. 68.

℞. MUMIÆ patibuli ℥. iii.
Spiritus ligni Guajac.
Querni an. ℥. iv.

ex invicem mixtis destilla ex Retorta: quo inunge caput.

Balsamum ex Mumiæ Philos. parandum delineat Poppius l. 3. Thesaur. med. p. 743.

℞. Carnis Human. recentis, debito modo collectæ, à sano sc. & ultimo supplicio affecto homine, probe incisæ, lib. iii.

Adde

Adde Myrrhæ pulverisat.
Aloes an ℥. iii.
Croci. ℥. i.
Spiritus Vini lib. ii. Omnia Vitro indantur clauso, & per quatuordecim dies stent in leni digestionis calore: postea sensim ex Retorta destilla, primum lento, mox fortiori igne: sic Balsamus cum liquore prodit: hunc poteris interne, balsamum vero externe usurpare. Idem commendat liquorem in defectu virium cujus scr. i. propinat. lib. 1. Thesaur. Medic. pag. 216.

Libavius lib. 2. Alchym. pag. 142. ejusmodi describit.

℞. Carnes Micr. recentes, incide, adde parum salis & spiritus Terebinth. q. s. macera clauso vase, donec putrefiant, segrega purum ab impuro per colum trajiciendo; & cave tibi à fœtore: quod ut facilius fiat, poteris vas apertum relinquere, donec fœtor exhalârit: post destilla per Retortam vel Alembic. rectum, separa Tereb. spiritum ab Oleo, cui poteris addere moschum, & affuso S. V. id circulare.

Hunc ipsum paucis immutatum habet Poppius loc. citat.

℞. Carnes Micr. incisas libras tres: asperge optime sale, sicque permaneant per quatriduum, deinde adde.
Olei Juniper. Terebinth. an. ℥. iii.
Garyoph. ℥. ß.
Mastich. pulveris. ℥. iv.

Omnia probe invicem misce, & ex Retorta destilla, sic exibit liquor & Balsamus: quæ duo invicem separanda.

Inprimis autem commendatur in Gonorrhœa Gallica.

Quidam hunc commendat.

Pars humani corporis incisa ex Oleo olivarum per mensem digeri sinatur; deinde ampullæ incurvatæ imponatur, separeturque.

O 5 Hujus

Hujus liquoris lib. i.
Theriac. opt. ℥. vi.
Moschi. ʒ. i. misce, macerenturque diebus triginta, atque tunc Theriaca præstantissima è Mumia provenit.

Hujus ℥. i. ex ol. amygd. dulc. iis feliciter datur, qui venenum hauserunt, aut peste correpti sunt, sicut in lecto sudent: laterum inflammationibus, abscessibus, carbunculo & similibus medetur; ad venena præcavenda mane ʒ. i. sumitur.

QUINTAM denique ESSENTIAM ex Mumia human. sic parandam censet Poppius in Hodogetico Chymic p. 189.

℞. Carnes Microcosm. debito modo collectas & incisas, putrefac per duos menses in continuo at leni calore: aperi deinde vitrum, & alembicum ei applica, & ex B. primum Phlegma destilla, deinde urge ignem, donec omnia prodeant: tunc separa aquam ab Oleo per separatorium: Phlegma vero, à spiritu per alembicum, quem seorsim serva: Capiti mortuo calcinato affunde Phlegma, & extrahe salem, deinde destilla per Baln. inde Phlegma, donec cuticulam contrahat, sepone ad crystallisandum: Mox accipe salem fixum cum spiritu & ad putrefaciendum per 14 dies in B. colloca: tunc forti igne destilla, idque sexta vice repete: tandem id quod destillando prodiit cum sale simul in alemb, sublimato inde in phialam, Hermeticeque eam claude, & in digestione ad coagulandum colloca: Denique solve vicissim in S. V. & separa inde fæces; perque quatuordecim dies circula: sic Quintam Essentiam optime paratam habebis.

Alium modum præparandi Q. ESSENT. ex HUMANA CARNE habemus apud *Fabrum lib.* 1. *Myrothec. Spagyr. cap.* 11. & sequentibus delineatur.

Sumatur CARO HUMANA, adolescentis hominis, violenta morte ex justitia perempti, laudati sanguinis & quadratæ staturæ, si fieri potest,

test, Sole Virginem ingrediente ad quantitatem librarum saltem trium, ex Crure, lumbis, aut natibus, projiciatur in optimum & ab omni Phlegmate depuratum Vini spiritum, quoad spiritus Vini supernatet illi ad tres, aut quatuor digitos, & maneant simul in vase vitreo optime clauso per tres aut quatuor dies: Deinde auferatur caro, & irroretur in catino vitreo frequentissime spiritu salis ab omni Phlegmate depurati. Catinus vero conservetur apertus in umbra, in loco, ubi pulvis, nec aliæ festucæ carnem inficere possint; dum autem caro maximam spiritus Salis copiam ebiberit, perquam optime siccandam permittes in eadem umbra & simili catino, versatâ semper undiquaque carne: Hæc Caro sic condita summum est humanæ Naturæ solatium & vitæ propugnaculum. Reservari potest in conservis vitreis ad usus suos: nihilominus tamen potest adhuc efficacius præparari & in Q. Essentiam redigi hoc modo.

Sumatur hujus Carnis sic conditæ lib. i. & in pulverem redigatur, pulvis hic infundatur in perquam optimo Vini alcohole, in eo sc. quod per circulationem fragrantissimum odorem adeptum est, & maneant in digestione lentissima Balnei per quindecim dies, donec tingatur in colorem sanguinis spiritus V. Tinctum effunde per inclinationem in aliud vas vitreum circulatorium, & clausis optime omnibus juncturis, digere circulando per octo dies lentissimo igne, donec fæces deposuerit omnes. Tinctura iterum effusa in aliud vas, quod optime claudes, fæces, quæ in fundo remanent prioribus fæcibus conjunge; & bulliente B. destilla, ex his, quicquid poterit humiditatis, illudque humiditatis, illudque humidum Tincturæ priori conjunge; fæces deinde combure, & violentissimo calcina igne, donec albescant; & ex his, cum aqua Carduiben. aut fl. tiliæ, aut flor. lili. convallior. extrahe salem, quem calcinationibus,

solutio-

solutionibus, filtrationibus & coagulationibus sæpius iteratis, in candidissimum reduces sacharum, quod conjunges priori Tincturæ. Exque hac Tinctura lentissimo calore B. extrahes humidum aliquid, donec Tinctura spissitudinem mellis acquisiverit, quæ in vasis aureis digna est conservari, propter stupendas in sanitate conservanda virtutes, & in morbis quibuscunque pellendis.

VIRES & USUS.

Virtutes hujus arcani reticeri merentur, quod tot tantæque sint, ut in earum enumeratione hyperboles suspicionem adserat lectoribus: dicam tamen omnibus morbis accommodari & Principes omnes & Reges eo uti debere ad longissimæ beatæque vitæ usum.

Sumitur singulis matutinis horis, jejuno stomacho in jusculo pulli vel sorbili ovo ad quantitatem trium aut quatuor granorum.

Ex Tentzelii *Medicin*. Diastatica tres adhuc modi extractionis.

MUMIÆ MICROCOSMI, restant, quos c. 3. describit, quorum primus hic est:

Sumatur MU*MI*A corporalis dicta cum omni adhærente substantia cujusvis membri, nempe, Hepar, Pulmones, aut integrum corpus, per quod intelligatur *Caro*, vel sanguis, putrefiant per mensem Philosophicum in phiala Hermetice clausa, ut formam q. mucilagineam assequantur. Expressa inde muccago denuo in fimum collocetur ad putrescendum per mensem Philosophicum, ut materia vertatur in Embryonem spagyricum: ab hac Embryonia materia in B. M. sua separetur Aqua: in Cineribus, Aer: reaffusa super residuum aqua, & signatura debite interposita adhuc unum mensem in B. *M*. putrefiant. Hinc per Cineres Aqua simul & Ignis abstrahantur; aquam separando ab igne per B. *M*. ignem vero rectificando

do seorsim per Cineres. His ita Elementorum separatio erit peracta, quamvis Terra prædicta Embryonia adhuc repurgatione opus habeat, quin imo resolutione in sua tria principia. Propterea terra illa fæculenta vase clauso quatriduum reverberetur: inde Elementum aquæ lentissimo B. gradu, ad humiditatis duntaxat heterogeneæ consumptionem destilletur, reliquam vero per Cineres perfectionem acquirat. Illam ipsam aquam super Terram reverberatam in Cineribus cohobando ter quaterve forti igne propelle, & evadet clara & pellucida, cumque propria terra eadem opera rectificabitur. Eodem modo aerem quoque super terram cohobando ad puritatem, nonnullamque saporis gratiam perfice. Postea ad ignem fiat progressus; ille cum aqua mixtim dimittatur per aliquot dies in locum putrefactioni idoneum. Hinc aqua, destillatione arenaria detracta, ignis empyreuma simul auferatur. Aquam inde in B. *M.* iterum separa, eamque Terræ commixtam denuo triduum circiter ad putrescendum colloca; denique per arenam forti igne destilla, & ignis simul assurget, qui ab aqua separandus, igne in fundo superstite.

Hanc eandem infusionem, destillationem & separationem à Terræ elemento, eousque repete, donec nihil ignei illius in fundo amplius restitet. Aqua ultimo separata cum igne superstite claro triduum usque digeratur, indeque ab eodem pro Baln. penitus abstrahatur igne ad Cinerum calorem ultimo provocato. Hac ipsa laboriosa licet rectificatione inferius Virtute superioris & vice versa nobilitabitur; igni siquidem per cohobationes Balsamicum aereum ab aqua & aere. Aquæ vero per ignem balsamicum igneum conciliabitur, ut jam ultimi liquores primis duobus principiis *M*ercurio & Sulphuri belle respondeant; quæ ipsa postea circulari motu in proprium centrū rectificanda veniunt, nempe liquor Mercurialis cum Sale: Sulphur vero per se circulando in suum centrum gradetur.

Tertium

principium ſequenti ἐργασίᾳ perficiatur: Terra reverberata tuta ſuper marmore imbibatur quadruplo aquæ in prima deſtillatione per B. ſeparatæ, iterumque per cineres coaguletur. Id eousque continuetur, donec terra ignem penitus abſorbuerit: dein, eadem ſublimetur, ſublimabitur.v. inſtar nivis albæ: ſic impurior pars, lolium ſc. in agrum naturæ ſatum, copiam familiaritatis & concordiæ impediens, relinquetur prorſus rejectitia.

Quæ terra ſublimatione purior reddita tertium principium puta, Sal merito conſtituet: Eſtque *Mater*, in quam alia duo, ceu ſpermata viri & fœminæ ſeminanda, inque novam admirandamque fœturam totius *Mundi* ſimulachrum & naturam in ſe continentem, adeoque *Microcoſmi* nomine ſignatam, &c.

Secunda *Mumiæ* extractio eſt ad modum Q. Eſſentiæ & ſic habet.

℞. Spiritum Terebinthinæ clarum & perſpicuum. Is namque per ſe balſamicus eſt; miſce cum *Mumia* tenuiter inciſa, inque vaſe Hermetice clauſo per menſem Philoſophicum ad putreſcendum ſepone: expreſſioni veſica bubula exceptæ affundantur aliquotæ partes ſpiritus V. rectificati: Inde in alembico cæco ſuper Cucurbitam juncturis optime munitis adaptentur: ita ut Cucurbita in frigidam aquam poſita, arena, prunaque, circa alembicum lento calore officium faciant: cujus beneficio liquor ſ. Q. Eſſentia in forma per quam ſubtili cum Spiritu V. per veſicam delabitur: *Materia* craſſa reſidua reverberanda, & in Sal ſublimatione redigenda: demum cum Q. E. poſteaquam illa à Sp. V. per B. fuerit ſeparata, circulationis medio unienda: quibus peractis Q. Eſſentia *Mumiæ* cum Theriaca & moſcho amplius digeri, & ita in forma Elixirii pro remedio cum ipſiuſmet peſtis, tum aliorum deleteriorum maxime præſentaneo, reſervari ac collaudari poterit.

Tertius extractionis *Mumiæ* aereæ ſ. balſami corporis præfocati modus, medio tranſplantationis abſolvendus ita habet.

Pri-

Primo dissolvatur Mumia admixta quarta parte terræ cujusdam aridæ calidæque in clauso vase per mensem, vel donec mucilaginis aut pinguis cujusdam glebæ formam referat. Deinde semina earundem plantarum inseminentur: quarum virtutibus alias iidem morbi, quos jam cupis expugnatos, superantur: pesti videlicet opponendo antipestilentialia; febribus alexipyreta, & sic consequenter: Relinquantur ita sub dio, donec vegetari incipiant, ac crescant; Ita namque Magnetica ejusdem seminis virtus, Spiritusque in eo turgens cœli non solum proportione respondens: sed & idem cum ejusdem Spiritu, licet aliter atque aliter modificatus, intimum, balsamicumque terræ *Mumialis* Spiritum nutrimenti in modum alliciet; dumque ita vegetabitur, ejusque *Mumiæ* spirituales proprietates atque vires sibi jugiter associabit, ejusdemque porro herbæ extractio ad imitationem Q. Essentiæ, vel *Magisterii* mediante S. V. lepide sub manus succedet; opus ad conservandum valetudinem, varios morbos expugnandum vere utile & mirandum.

Hujus opellæ segmentum hoc parvulum loco suo incuria (ut fit) prætermissum, hic potius quam nullibi apponendum duximus. Hoc (tu Lector) p. 136. proxime post lineam secundam supra vigesimam si intercales, integram rerum seriem & ἀλληλουχίαν restitueris.

Sunt qui transplantationem morborum Sanguinis beneficio instituunt, & eundem ex certa parte extractum frutici vel arbori inserunt. Derivatur enim vi occulta operationis Magneticæ omnis corruptio & ægrimonia partis morbidæ in Truncum, cum quo Mumia illa committitur, & quamlibet arborem, quæ vegeta est & viva; simulatque enim hic magnes hunc succum ceu ferri imbecillis imbibit, non desinit per hanc Mumiam allicere & attrahe-

re, quoad totam, unde illa est ægritudo, substantiam elicuerit, & ad se pellexerit, omnemque morbi fomitem atque mineram in se quasi transplantârit; nec aliter frutex in alimentum suum convertit vitiosum illud morbi seminarium, quam serpentis venenum Ciconia: at si imbecillior sit, quam ut malignum illud virus possit subigere, elanguet & emarcescit, atque hoc modo Phthisin & febrium cohortes, cæterosque morbos fuisse curatos, & à fide dignis accepimus, & oculati testes sumus, inquit *Burggrav. pag.* 139. vide *Medic.* Diastatic. Tentzelii.

Non possum non vere affirmare, me aliquoties Odontalgiam etiam desperatissimam, tali modo & medio, profligasse: Sanguine scilicet ex gingivis dentis dolentis cum bacillo ex salice, detracto, & juglandi floridæ & vegetæ implantato.



DEO TRIUNI GLORIA.

INDEX

Continens Medicamenta ad Curandos Morbos desumpta ex corpore humano tam vivo quam mortuo.

A

Aqua

B

C

Convulsionis

D

Dentium

Even-

L

M.

N.

O

Oleum

Q.

R

S

Vasorum

V.

FINIS.